COMMENTARIIS

DOCTORUM VIRORUM

IN

SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM

EPIMETRON

SCRIPSIT

CAJETANUS PELLICCIONI

IN R. BONONIENSI ATHENEO

LITERARUM GRAECARUM PROFESSOR

BONONIAE

TYPIS ALEXANDRI MAREGGIANI

—

1867

PRAEFATIO

Quamvis viri praestantissimi in ornandis illustrandisque graecis exemplaribus magnum studium magnamque operam ad hunc diem contulerint, nondum tamen opus ita perfectum et ad unguem expolitum, ut qui alacri ingenio et idoneis doctrinae adiumentis ornatus illud retractaverit, aliquam sibi laudem comparare non possit. Multa enim adhuc restant non satis explorata atque excussa, aut non recte explicata, aut non lucide perspecta, acrius illustrius exquisitius explananda atque illuminanda. Illud in primis philologis nostratibus quos lingua et cognatione proximos, hereditario quodam jure veterum monumentorum propugnatores et custodes natura constituit, summa ope adnitendum est, ut librorum antiquorum auctoritatem et quasi dicam religionem vindicent a profanis et temerariis recentiorum criticorum conatibus, qui in scenicis potissimum poetis ita debacchantur, ut Augustus Meinekius, vir acri judicio et doctrina singulari praeditus, jamdiu

de nostro questus sit brevi futurum ut Sophoclem in Sophocle quaeritemus. Quidquid enim aegre intelligitur, sive quod in tanta temporum morum locorum diversitate non satis liquet, sive quod apparatu scenico reliquisque subsidiis destitutum non facile nobis perspicuum; illud aut emendationibus vexant, aut conjecturis refingunt (doctis frequenter et ingeniosis) quae dictionis venustatem non raro corrumpunt, sententiarum aciem et vim fere semper obtundunt. Praeterea si quid non satis placet, aut non belle dictum, aut a consueto dicendi uso remotum videtur, id ad libidinem retexunt; liberum, insolens, audax quodvis ad angustum orbem et elumbem aequalitatem recentiorum sermonum detorquent; ordinem verborum et versuum pro lubitu pervertunt, aut in series commenticias distribuunt; quodque vel levissima de caussa suspectum habeant, indicta causa detrudunt. Denique si quid legibus grammaticis, criticis, metricis quas ipsimet condiderunt non rite obtemperet, illud per vim iisdem submittere non dubitant.

Nolim tamen aliquis reputet me codicum auctoritati nimis serviliter addictum curas et investigationes hominum eruditissimorum in emendandis expoliendisque textibus penitus rejicere atque aspernari. Hoc unice contendo modum et certos fines in hoc negotio servandos esse. Quando enim unicuique licet sua judicia de quocumque scriptoris loco in medium proferre, suasque emendationes et conjecturas vel audacissimas seorsim edere et propugnare, causam non video cur haec

textibus obtrudenda sint, donec plausum doctorum hominum excusserint, atque una omnium voce, quae sola in hisce rebus est certissima fides, accepta et probata fuerint. Nam si multa in antiquis membranis mendosa et corrupta reperiuntur, quorum vel manifesta est erroris origo, vel satis probabilis medicina suppetit; sunt etiam non pauca quae vitiosa et absurda initio videbantur, secundis tamen curis melius retractata aut novis subsidiis illuminata, optima et sincerissima deprehenduntur. Quae vero adeo mutila et depravata ad nos pervenerunt ut in integrum restitui nullo pacto possint, illa, sic ut in optimis libris leguntur conservari satius esse duxerim, quam inani aemulatione ingenii, venerandae antiquitatis reliquias manu profana dirui et labefactari.

Atque hic veniam a lectoribus impetrabo, si aliquantisper a via digressus, luculentissimo uno aliquo exemplo demonstravero quam caute, quam sobrie et lente in convellenda constanti librorum scriptura incedere debeamus. Est locus in limine ipso historiarum Thucydidis obscuritate insignis, cujus incredibile dictu est quot quantasque interpretationes docti viri hactenus frustra tentaverint (1). Verba sunt ex lib. I. § 2. in fine hujus-

(1) Consule Popponem edit. maj. Thucydidis part. III. vol. I. pag. 37. et seqq. ubi plurimas h. l. interpretationes recenset. Noster quoque Amedeus Peyron in italica versione Thucydidis ne a membranarum fide discederet, in quo tamen laudandus, adeo abstrusam h. l. interpretationem commentus est, ut ejus sensum sine Oedipo aliquo (cujus ipse munus assumpsit in subiecta annotatione) vix assequeremur.

modi: *Τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. Καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι· ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες, παρ' Ἀθηναίους, οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὂν ἀνεχώρουν, καὶ πολῖται γιγνόμενοι, εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν, ὥστε καὶ ἐς Ἰωνίαν ὕστερον, ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς, ἀποικίας ἐξέπεμψαν.* Recentiores critici quum ex iis verbis quae diversa scriptura notavimus idoneum sensum elici posse desperarent, omnes una mente praepositionem *ἐς* rejiciendam esse consenserunt. Hac scilicet medicina sensus eruitur, satis quidem perspicuus, sed, quod gravissimum est et non satis a doctis viris perspectum, talis qui a manifesto scriptoris consilio et a reliquae orationis contextu penitus abhorreat atque repugnet. Nam quicumque laudatissimum istud prooemium attente perlegerit et singula ejusdem cum verba tum sententias accurate pensitaverit, is sibi omnino persuasum habeat necesse est, totius disputationis summam eo redire, ut argumentis et indiciis certissimis demonstret universam Graeciam antiquitus humilem atque imbecillam, non opibus, non commerciis, non bellicis rebus, non celebritate urbium claruisse; nec unquam antea ad tantam potentiam evectam esse, quantam tunc habuisset quum bellum Peloponnesiacum conflagravit. Contra isti quod Thucydides disertis verbis luculentissimum

exemplum, et argumentum praestantissimum (*παράδειγμα οὐκ ἐλάχιστον*) totius disputationis (*τοῦ λόγου*) esse profitetur, illud veluti exceptionem aliquam interpretantur; quasi vero urbem Athenarum omnium Graeciae civitatum antiquitus florentissimam praedicaverit. Quod certe nec ipse dixit, nec, etiamsi voluisset, eo saltem loco dicere poterat quin orationis nexus et sententiarum continuatio funditus perturbaretur. Atqui si interpretes sibi in mentem revocavissent eum morem, quo nihil apud Thucydidem frequentius, ita verba trajiciendi ut particulae quaedam, interjectis vel adverbiis vel praepositionibus, vel longioribus etiam enunciationibus, ab iis vocibus divellantur cum quibus arctissime sensu et ratione grammatica cohaerent; incolumi membranarum scriptura, facillime hunc locum explicare potuissent. Mihi enim primo, dum acrius modo unum modo alterum verbum singulatim perpenderem, repente vera ejusdem interpretatio meridiana luce clarior affulsit, simul atque adverbium *ὁμοίως*, tanquam parenthesi inclusum, a reliqua oratione sevocavi (1). Quod quidem ad-

(1) Hujusmodi trajectionum innumera exempla apud Thucydidem occurrunt. Sunt duo loci huic simillimi in eodem lib. I. 12. 1. ὥστε μὴ - ἡσυχάσασαν - αὐξηθῆναι, et 124. 3. ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται, ἀφ' ἡσυχίας δὲ μὴ πολεμῆσαι οὐχ' - ὁμοίως - ἀκίνδυνον. In primo idem infinitum αὐξηθῆναι a particula negandi μὴ eodem prorsus modo sejungitur interjecto participio ἡσυχάσασαν. In altero adverbium ὁμοίως pariter integrae propositionis vim habet, idest ὥσπερ ὅτε εἰρήνη βεβαιοῦται ἐκ πολέμου,

verbium sic absolute positum integram enunciationem comprehendit (1), et continet comparationem inter Atticam aliasque Graeciae regiones de quarum infirmitate et inopia rerum paulo ante disseruerat. Restat nunc ut totum locum latine redditum lectorum oculis subiiciam quo melius appareat hanc nostram interpretationem esse unice veram. « Attica vero, quamvis propter agri te-
» nuitatem seditionum ut plurimum immunis ab
» iisdem semper hominibus habitata fuisset, ni-
» hilo tamen minus luculentissimum hujus meae
» disputationis argumentum est hoc ipsum, quod
» scilicet ne illa quidem (perinde *ac ceterae Grae-
» ciae partes de quibus modo dixi), valde* augeri
» potuit. Nam potentissimi quique qui bello aut
» seditione ex reliqua Graecia excidebant ad
» Athenienses tanquam in tutum confugiebant,

interque negationem et rem quae negatur similiter collocatur. His adde lib. I. 2. 1. οὐ - πάλαι - βεβαίως οἰκουμένη, et 91. 7. μὴ - ἀπὸ - ἀντιπάλου παρασκευῆς. Lib. II. 73. 1. ἀλλ' ὅπως μὴ - ῥαδίως περὶ μεγάλων πραγμάτον τοῖς ξυμμάχοις πειθόμενοι - χεῖρον βουλεύσησθε. Lib. III. 37. 2. οὐκ - ἐπικυνδύνως - ἡγεῖσθε μαλακίζεσθαι Ibidem 57. 1. πολεμεῖν μὴ - πρὸς - ὅμοιαν ἀντιπαρασκευὴν. Et 62. 2. μὴ - παλαιάς αρετάς εἴ τις ἄρα καὶ ἐγένετο ἀκούοντες - ἐπικλασθῆτε. Lib. V. 69. 1. Μαντινεῦσι μὲν, ὅτι ὑπέρ τε πατρίδος ἡ μάχη ἔσται, καὶ ὑπὲρ ἀρχῆς ἅμα καὶ δουλείας· τὴν μὲν μὴ - πειρασαμένοις - ἀφαιρεθῆναι, τῆς δὲ μὴ - αὖθις - πειρᾶσθαι. Aliaque alibi passim.

(1) Id genus adverbia pro integris enunciationibus emphatice usurpata, praeter exemplum in superiore nota citatum, similiter invenies ἀνθρωπίνως lib. III. 46. 1. δικαίως IV. 62. 4. ἀναγκαίως II. 64. 3. et VII. 63. 4.

» sed cives facti, urbem jam ab antiquis tempo-
» ribus *satis habitatoribus confertam*, confertio-
» rem in dies accolarum multitudine (1) fecerunt
» adeo, ut colonias *cum alias antea in alia lo-*
» *ca* (2), *tum* vel in Ioniam postea mittere co-
» gerentur ».

Ut in viam regrediar, ostendere volens ab interpretibus saepius quam a librariis peccari, et tralatitiam librorum scripturam difficilioribus etiam locis expediendis non semper reluctari, speciminis loco nonnullas minutas annotationes in nobilissimam Sophoclis tragoediam literis man-

(1) Haec ita vertenda esse duxi, ut verba μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν, intelligantur de noxia illa et incommoda incolarum multitudine quae causa fuit ut commeatus penuria pluries alio colonias mittere cogerentur, non autem de prosperitate aliqua et potentia quam tunc Athenae prae ceteris Graeciae civitatibus habuissent, quod tum a veritate historica tum a consilio totius disputationis alienum. Comparativum μείζω alium comparationis terminum μεγάλην ex. gr. elliptice de more omissum requirit, quem in interpretatione perspicuitatis gratia addendum esse existimavimus.

(2) *Tum alias antea in alia loca.* Haec verba in textu omittuntur, facile tamen eruenda, tum ex particula καὶ, tum ex adverbio temporali ὕστερον quod aliud adverbium contrariae notionis (ex. gr. πρότερον), cui in altero membro opponatur, flagitare manifestum est. Cf. quae infra disputavimus ad v. 49., et 87. h. dr. Ad rem quod attinet haec respiciunt colonias in Laconiam ab Achaeo (Strab. VIII. 7); in Aegialum a Xutho, (Strab. VIII. 7. Herodot. VII. 94), et ab Iolao in Sardiniam (Paus. VII. 2.) deductas; nec non Pelasgorum in Lemnum et Imbrum secessionem (Herodot. V. 26, VI. 137).

dare constitui. Infinitus fuissem si singulas singulorum locorum emendationes et conjecturas a criticis excogitatas, expendere et refutare voluissem; eas tantum attigi quae impeditiores locos non recte, meo judicio, interpretatos respicerent, quaeque auctoritatis et doctrinae notam a clarissimis viris qui eas proposuissent acciperent. Si hoc, qualecumque sit, opus erit doctis viris probatum, in reliquas Sophoclis tragoedias, nec non in Aeschylum, et Thucydidem id genus commentarios edere in animo est. Sin minus, sat mihi erit si alios in Italia nostra ad haec studia humanitatis diu intermissa alacrius et felicius instauranda et provehenda excitaverim.

IN SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM

Aenigm. solut. metr. v. 3.

ὅς ἡνίκα γαῖαν ἐφέρπει
πρῶτον, ἔφυ τετράπους

Qui quum primum in terram repit. Distinctionis notam quam ponunt post *ἐφέρπει* rectius post *πρῶτον* appinxeris; facile enim tibi persuaseris *πρῶτον* non cum sequentibus sed cum *ἡνίκα* sensu conjungi.

Ibid. v. 6.

αὐχένα φορτίζων γήραϊ καμπτόμενος

Incurvans sese dum senio cervicem onerat. Imago a bajulis petita qui quo majus onus subeunt, eo magis collum et humeros physica necessitate flectere coguntur. Hic quoque distinctio post *φορτίζων* delenda; nam *γήραϊ* cum *φορτίζων*

sensu cohaeret, dativus *generis* seu *speciei* quo melius definitur lata metaphorae significatio: *καμπτόμενος φορτίζων* participia invicem arcte conjuncta quorum posterius id genus participium est quod vocant *temporale* (Matth. gr. gr. § 565. 1.), atque hic loci exprimit momenta actionis sine intermissione repetitae.

ad dramat. v. 6.

ἀγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν, αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα

Verborum collocatio *παρ' ἀγγέλων ἄλλων* pro *παρ' ἄλλων ἀγγέλων* doctis viris fucum fecit quominus hic agnoscerent *ἀγγέλων* per appositionem nomini personali *ἄλλων* adiunctum esse (Matth. gr. gr. § 431. 1.), ideoque nihil aliud significare quam *παρ' ἄλλων ἀγγελλόντων*. Appositionis vero nullam in oratione certam sedem esse, sed nomen cui accedit aeque praecedere ac sequi posse, supervacaneum est exemplis demonstrare. Conferantur duo Homeri versus Iliad. II. 786. et III. 121., in quibus eadem vox *ἄγγελος* nomen cui adjicitur modo sequitur, modo praecedit. Quare locum sincerissimum cum Meinekio (Analect. Sophocl. p. 219.) non emendaverim. In tota vero sententia latet compendiosum dicendi genus. Nam quemadmodum, ut recte vidit et Schneidewinus, *ἄλλων* et *αὐτὸς* sibi invicem opponuntur, ita et *audiendi* verbo verbum aliquod propinquae notionis, nempe *videndi*, in altero membro opponi debuisset, quod tamen ex ipso orationis contextu facile intelli-

gendum omittitur. (Cf. infra notat. ad. v. 116.). Plena igitur oratio erit: *quae ego non contentus auditu ab aliis nunciantibus percipere, ipsemet huc veni (ut meis hisce oculis videam)*.

v. 11.

δείσαντες ἢ στέρξαντες;

Varie haec interpretantur, Schneidewinus quidem *numquid timentes aut jam perpessi mala?* Utrum haec significatio verbo *στέργειν* conveniat nec ne, omitto quaerere. At inepta plane et otiosa fuisset Oedipi interrogatio, Oedipi inquam illius qui infelicem statum civitatis optime noverat; de eo unice bonum regem sollicitum esse oportebat, quae causa quodve consilium tam sollemnis supplicationis, timore ne novo perculsi ad aras confugerint, an aliquid potius quod in potestate sua esset a se impetraturi. Huic igitur verbo *στέργειν* unam *postulandi, exorandi* significationem hic loci convenire posse arbitror, qua et alibi a nostro usurpatum reperitur (Oed. Col. v. 1094).

v. 17.

οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς
ἱερῆς, ἐγώ μὲν Ζηνός.....

Nemo animadvertit putidum reliquorum, quotquot aderant sacerdotum recensum, ex. gr. *ὁ δὲ Ἀπόλλωνος, ὁ δὲ κ. τ. λ.* qui post ea verba

ἐγὼ μὲν Ζηνὸς expectabatur, abrumpi eleganti aposiopesi cujus indicium satis quidem manifestum deprehenditur in particula *μὲν* quae apodosi caret, actoris tamen gestu melius et significantius explenda et declaranda relinquitur. Si rem acu tetigimus, supervacaneae erunt dd. vv. ad hunc locum emendationes.

v. 20.

πρός τε Παλλάδος διπλοῖς
ναοῖς ἐπ' Ἰσμηνοῦ τε μαντείᾳ σποδῷ.

Construe *πρὸς διπλοῖς ναοῖς Παλλάδος τε, καὶ ἐπὶ μαντείᾳ σποδῷ Ἰσμηνοῦ. Ad gemina delubra, Palladis quidem, et apud cinerem fatidicam Ismeni,* ad duo scilicet templa quae tunc celeberrima et sanctissima Thebis habebantur, Palladis et Apollinis. Sed postquam primum a numine cui dedicatum erat appellavit, alterum *ἀνακολούθως* more suo, variandae orationis gratia, periphrastice designat a celebri quodam ibi vate ejusque ara fatidica, de quibus consule interpp. ad hunc locum. Cave igitur de duobus templis ipsius Palladis sub diversa appellatione veneratae, vel de templo *συννάῳ* ejusdem deae cogites. Nulla enim ratio erat cur Jovis sacerdos si unum vel alterum modo templum, prae ceteris quae tunc Thebis erant, brevitatis causa nominare voluisset, illud Jovis optimi maximi cujus ipse sacerdotio fungebatur, praeteriret. De adiectivo numerali *multiplo* pro *cardinali* non monerem, nisi interpretes falsos vidissem. Cf. v. 228. et 688. h. dr.

v. 23.

κἀνακουφίσαι κάρα
Βυθῶν ἐτ' οὐκ οἷα τε φοινίου σάλου.

Quid in hoc loco interpretes offenderit non invenio. Genitivus *βυθῶν* a quo pendent reliqui duo genitivi, regitur a praepositione *ἀνὰ* qua componitur verbum praecedens. Haec praepositio, seorsim quidem, raro admodum secundum casum admittit, ejusque usus exempla valde dubia congessit Matthias (gr. gr. § 579.). At in compositione, ubi praepositionum vis aliquatenus obtunditur (Matth. gr. gr. 379. 2. cum quo confer h. dr. v. 236. *εἰσδέχεσθαι γῆς:* et v. 825. *ἐμβατεύειν πατρίδος*), saepissime cum genitivo usurpatam invenies. Obvia sunt exempla: Noster Aj. 274. *κἀνέπνευσε τῆς νόσου.* Eurip. Tr. 102. *δαίμονος ἀνέχου.* Hom. Od. II. 416. *νηὸς ἀνέβαινε.* Isaeus p. 59. *τῆς κλίνης ἀνίστασθαι.* Apoll. Rh. II. 1249. *ἀνατέλλειν ὀρέων.* Mosch. I. 27. *κέρα ἀνέτελλε καρήνου.* etc.

v. 31.

θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενον σ' ἐγὼ
οὐδ' οἵδε παῖδες ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι,
ἀνδρῶν δὲ πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου
κρίνοντες, ἔν τε δαιμόνων ξυναλλαγαῖς.

Diversam geminorum accusativorum *ἰσούμενον* et *σὲ* rationem non bene perspectam habent. Nam

ἰσούμενον quidem ob suam passivam significationem nullo pacto potest esse obiectum quod vocant sequentis participii *κρίνοντες*, sed accusativum est ea tantum de causa quod alteri accusativo *σὲ* adhaerescit Hujus vero ultimi ratio petenda est ab attractione quam exercent jam in mente loquentis parata verba *κρίνοντες πρῶτον*, quamvis proximiora *ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι* cum quibus revera jungitur, tertium casum jure suo postularent. Nec dissimili ratione, sed paullo insolentius noster hujus dramatis v. 1349. seqq. casum ab altero casu cum sua praepositione avulsum, pluribus interjectis, nonnisi a remotissimo verbo suspendit.

Οἵδε παῖδες aut omnes respicit propter caritatem quasi paternam qua senex sacerdos supplices illos amplectitur, vel pueros tantum quos digito interim actor ostendens solos nominat, quippe qui sua aetatula prae caeteris apti ad regis animum permovendum. Huic collatum friget quod Meinekius (op. cit. p. 229.) substituit *οἵδε πάντες*, et refellitur ab ipso Oedipo qui mox eosdem compellabit *ὦ παῖδες οἰκτροί* (v. 58.). Quanta vero ironia subest iis verbis *ἀνδρῶν πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου ἔν τε δαιμόνων ξυναλλαγαῖς!* Nam quis, alio sensu, homo unquam extitit ipso Oedipo calamitosior? quis Deos magis iratos expertus? (Cf. infra notat. ad v. 136.).

v. 48.

σωτῆρα κλήζει τῆς πάρος προθυμίας

Genitivus non a verbo *κλήζει*, ut Wunderus vellet, sed a substantivo *σωτῆρα* aptus est, cujusmodi genitivis, *qualitatis* seu *modi* quos vocant, subest saepe compendiosum dicendi genus: hic ex gr. *σωτῆρα τῆς πάρος προθυμίας* idem valet ac si plenius diceretur *σωτῆρα διὰ τὴν σωτηρίαν ἀπὸ τῆς πάρος προθυμίας αὐτῇ γεγενημένην*. *Te servatorem nuncupat ob salutem alacritate tua olim sibi praestitam.* Alia id genus exempla invenies h. dr. v. 497. et 1200. et apud Matth. gr. gr. § 367., 342., 371. c.

v. 49.

ἀρχῆς δὲ τῆς σῆς μηδαμῶς μεμνώμεθα
στάντες τ' ἐς ὀρθὸν καὶ πεσόντες ὕστερον

Effice ne regni tui ita meminerimus, ut qui prius a te erecti dudum stetimus, mox te itidem regnante rursus corruerimus. Praepositio motus ἐς verbo quietis addita indicat transitum status, et rapiditatem actionis qua Oedipus jacentes erexit et erectos aliquamdiu constituit. *Ὕστερον* vero antitheticum adverbium *πρότερον* in altero membro elliptice desiderari ostendit, quod ellipsis genus atticis scriptoribus et maxime Thucydidi familiarissimum. (Consule Popp. de hist. Thuc. comment. pag. 35. seq.). Reliqua recte in-

terpretatus est Wunderus peculiari excursu ad hunc locum. Schneidewinus tamen, veritus ne conjunctivo *μεμνώμεθα* insit quiddam nimis acerbum et imperiosum, valde dubiam optativi formam *μεμνῴμεθα* tuetur. At elegantissima illa urbanitatis et modestiae plena ellipsis, qua graeci scriptores verba hortandi, timendi, rogandi, prohibendi, minitandi et si quae sunt alia quae hujusmodi conjunctivos regant, omittere solent, efficit ut quaevis verborum offensio et petulantia vitetur, quum audientis optio sit illud quod rerum, personarum, locorum, temporum atque animorum statui et conditioni magis consonum et conveniens judicet, mente concipere et interpretari.

v. 58.

γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι
προσήλθεθ' ἱμείροντες

Hoc dicendi genus quod ab Homero acceptum (Il. III. 39.) Sophocles in deliciis habuit, (cf. h. dr. v. 1275.; Electr. 131., 883., 929; Oed. Col. 932; Antig. 492. etc.) non habendum est mere perissologicum, sed exprimit eam concitati animi festinationem qua, propositis in mente loquentis duabus sententiis quarum altera negative, altera affirmative eamdem rem enuncient; turbato iusto orationis ordine, illico affirmativam quae plus late patet majoremque emphasin habet pronunciamus, ut altera quae praecedere debuisset secundo loco illata, redundare penitus videatur.

Hic ex gr. Oedipus cupidus ostendere nihil quod rei publicae salutare esset a se praetermissum fuisse, geminorum enunciatorum quae gradatim prolaturus erat, idest *οὐκ ἀγνωτά μοι, ἀλλὰ γνωτὰ ἱμείροντες προσήλθετε*, illud nunc mutata vice statim aggreditur in quo major affirmationis vis contineatur.

v. 65.

ὥστ' οὐκ ὕπνῳ γ' εὕδοντά μ' ἐξεγείρετε

Non ego is sum qui incitamentis opus habeam, ut tanquam sopitus somno excutiendus sim. Ipsa locutionis vis qua usus est etiam Eurip. Or. 1530. *εὕδοντ' ἂν ἐξεγείρετε τὸν 'Αγαμέμνονος φόνον*, et noster h. dr. v. 586. *ἄτρεστον εὕδοντα*: aptaque verborum *εὕδειν* et *ἐξεγείρειν* antithesis, quae proverbialem vim quamdam orationi tribuit, satis superqne *εὕδοντα* sollicitandum non esse demonstrant contra Dindorfium qui *ἐνδόντα* tuetur. Attamen *ὕπνῳ* cum *ἐξεγείρετε* potius quam cum *εὕδειν*, ut vulgo solent, conjungi velim ita ut *ὕπνῳ ἐξεγείρειν* dictum sit pro *ἐξ ὕπνου ἐξεγείρειν*. Quod ad casum verbo aptum, cf. supra notata ad v. 32.

v. 80.

ὦναξ Ἄπωλλον, εἰ γὰρ ἐν τύχῃ γέ τῳ
σωτῆρι βαίη λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματι.

Euge rex Apollo! Utinam enim ut vultu hi-

lari incedit, ita cum salutari aliqua fortuna laetus adveniat! Ad illa ὥσπερ ὄμματι, subaudiri debent βαίνει λαμπρὸς ex superioribus βαίη λαμπρὸς haurienda. Particula vero γάρ cum a se, tum aliis particulis consociata, unice semper causalis est, quod egregie jam demonstravit Zeunius apud Vigerum (pag. 461, 475, 503). Notissimum quoque est hanc particulam saepe referri ad enunciatum aliquod quod in oratione elliptice lateat, ut hujus dr. v. 328., 324., 1151., 1516., 1520. Illud tamen nondum, quod sciam, ab iis animadversum est, scilicet hanc voculam non raro, praesertim apud poetas scenicos ita usurpari, ut nulli prorsus neque expressae neque tacitae orationis parti respondeat, sed necessario referenda sit ad simplicem motum, nutum, gestum, crepitum, risum, gemitum, exclamationem sive ab eo qui loquitur in scena sive ab alio actore editam. Haec res non recte observata saepius interpretibus fraudi fuit quominus veram sententium plurimorum locorum assequerentur. Praeter hunc nostrum locum ,ubi γάρ evidentissimec ausam reddit laetae exclamationis ὦναξ Ἄπωλλον quam Oedipus ediderat ex hilari vultu Creontis felix dei responsum auguratus, hujus usus alia etiam exempla in hoc ipso dramate reperies v. 102., 118., 167., 277., 317., 334., 906. et 1117. Cf. etiam Hom. Il. XVIII. v. 182., et nostrum Oed. Col. 222., 861., etc. Eur. Or. 725., 1100., Med. 689. Andr. 590. etc. Aristoph. Nub. 191., 679., 201. Plut. 535. etc. Aeschyl. Prom. 153. etc. Falso igitur grammatici, exemplis non bene excussis decepti, hario-

lantur huic voculae, praesertim si cum aliis particulis jungatur, aliam a causali significationem convenire posse; hic ex. gr. accedente *εἰ*, desiderativam fieri. Id vel ex eo falsum ostenditur, quod *εἰ* persaepe desiderativum est sine alia adiectione, veluti h. dr. v. 863.; quae res desiderativam vim ipsi soli inesse quin alterius ope indigeat satis aperte demonstrat.

v. 87.

ἐσθλήν· λέγω γὰρ καὶ τὰ δύσφορ', εἰ τύχοι
κάτ' ὀρθὸν ἐξελθόντα, πάντ' ἂν εὐτυχεῖν

Bonam, nam si ea quoque quae difficilia sunt, rite perducantur ad exitum, ajo summam rerum felicem fore. Oratio elliptica, ex illo enim *καὶ* arguitur contraria esse aliqua, puta *ῥάδια*, *εὔκολα*, *εὔφορα*, quibus *τὰ δύσφορα* opponi debeant. Cf. Thuc. II. 65. 10.; IV. 84. 1.; V. 42. 1. etc. ibique interpretes. *Πάντα* vero utramque rem amplectitur, tum verbis expressam, tum eam quae cogitanda relinquitur. Re enim vera numinis responsum, partim quidem faustum erat, quatenus cessationem luis promittebat; partim vero difficile et morosum, quatenus investigationem et ultionem criminis cujus indicia nnlla essent exigebat. Quam ob rem oraculi verba, antequam cum rege comunicaverit, minime vulganda esse Creon ratus, improvisae Oedipi interrogationi singularis artificii responsionem objicit. Nam statim quidem, cum boni omnis causa, tum ne ci-

vium animos satis jam afflictos diu suspensos teneat, occupat dicere se bonum responsum afferre; mox quasi retractans nimis felix dictum, perplexe innuit ingrati etiam aliquid et difficile in eo responso contineri, de cujus tamen felici exitu non sit desperandum.

v. 91.

εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν
ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω

Brachylogia pro pleniore sententia *εἰ χρῄζεις κλύειν τῶνδε πλησιαζόντων, ἕτοιμος εἰπεῖν* (*τῶνδε πλησιαζόντων*), *εἴτε* (*χρῄζεις κλύειν στείχων ἔσω*), (*ἕτοιμος εἰπεῖν*) *καὶ στείχειν ἔσω*. Quemadmodum *τῶνδε πλησιαζόντων* in primo membro, et in altero *στείχειν ἔσω* bis intelligi debent; ita *χρῄζεις κλύειν* et *ἕτοιμος εἰπεῖν* in utroque repetenda sunt ut constet perfecta sententia. *Στείχειν* vero, quae vis est enunciatorum disjunctivorum in oppositione ut sese mutuo expleant atque cxcipiant, praeter propriam significationem eundi, illam quoque verbi *εἰπεῖν* quae hic desideratur adipiscitur et repraesentat; de quo usu cf. a nobis notat. ad v. 116. infra, et Matth. gr. gr. § 634. 4. Thuc. IV. 2. Popp. op. c. pag. 282. seqq. etc. Quod ut clarius appareat pro participio quod illic expectabatur infinitivum invenitur, ut ejus infiniti *εἰπεῖν* quod ad sententiam absolvendam postulabatur, defectum explere ac quodammodo vices agere videatur. Parva quidem sed a grammaticis non bene enucleata.

v. 100.

ἀνδρηλατοῦντας ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζων πόλιν

Ad ea quae generice Creon v. 97. dixerat *μίασμα ἐλαύνειν*, generice jam responderat Oedipus *ποίῳ καθαρμῷ;* adhuc ignorans utrum de re aut persona aliqua ageretur: at acrius urgente Creonte *ἀνδρηλατοῦντας*, *ἢ φόνῳ φόνον λύοντας*, nunc tandem regi manifestum fit agi de homine piaculari plectendo. Miror criticos non animadvertisse *φόνον* et *αἷμα*, praesertim apud poetas (Cf. Aeschyl. Eum. 199. Eur. Or. 288., 1132. Hom. Il. II. 162., Pind. Isthm. VIII. 110., etc.) synonyma esse, ideoque *τόδ' αἷμα* nihil aliud significare quam *φόνον* modo memoratum, inficetam repetitionem vitandi causa. Hoc luculenter confirmat pronomen quod adjicitur *τόδε*, cujusmodi demonstrativa addi solent quoties vocabula in oratione repetuntur, ut qui audiunt moneantur de eadem non de nova aliqua re sermonem esse. *Τόδε* igitur non est, nec *de quo dicturus sum*, nec *quod in mente habeat deus*, ut viri docti a Meinekio (ibid. p. 221.) citati opinantur; sed potius *quod nuper dixi*, vel *de quo deus nuper dixit*. Inutiles ergo tum Meinekii tum aliorum emendationes, nisi *τήνδε τύχην* quoque in v. seq. et *τόδ' ἴχνος* in v. 108, quorum eadem prorsus ratio est, pariter emendare velimus; quod nec ipsi cogitarunt. Eadem prorsus ratione in h. dr. v. 948. infra, demonstrativum *ὅδε* (*νῦν ὅδε ὄλωλεν*)

significat *necem modo memoratam:* quam lectionem, optimam plane, male aliquis suspectam habuit. Ceterum in toto diverbio Oedipi impatientem atque irae pronam naturam cum prudenti pacatoque Creontis ingenio colluctantem, ipse orationis incessus, huic reticentiis et ambagibus obsitus, illi vehemens et concitatus, mirifice expressit.

v. 102.

ποίου γὰρ ἀνδρὸς τήνδε μηνύει τύχην;

Γὰρ causam reddit admirationis quam poeta histrioni non voce, sed gestu, motu, aut exclamatione aliqua manifestandam reliquit. (Cf. quae de hac particula notav. ad v. 80.). Mirum sane Oedipo videri debebat ob unius viri caedem universam civitatem tantis calamitatibus afflictari; jure igitur occupat sciscitari quanam dignitate fuerit homo ille cui infortunium illud obtigerit.

v. 107.

χειρὶ τιμωρεῖν τινά.

Τινὰ illud, cui Heimsoethius (Kritisch. stud. zu den trag. gr. p. 134) acutissimus vir, substituit *ϑεὸς*, magnam tamen ni fallor emphasim habet sitam in obscuritate ipsa. Nam ex mente quidem Creontis verecunde regem indicat, penes quem investigandi et puniendi criminis jus et

potestas; re tamen vera non sine commiseratione spectatorum Oedipum ipsum designat, quem fata premunt ut a se ipse sui sceleris poenas exigere debeat.

v. 110.

ἐν τῇδε ἔφασκε γῇ· τό δὲ ζητούμενον
ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.

Meinekius (op. cit p. 221) ἐκφεύγειν legendum esse contendit totam sententiam oraculi responso tribuens, alioquin admonitionem personae Creontis nuntii partes tuentis minus accomodatam contineret. At opportunissimam hic et simul modestam reprehensionem invenies eorum quae nuper Oedipus v. 108. proloquutus fuerat quibus, rei difficultate territus, munus a deo sibi demandatum detrectaturus videbatur.

v. 116.

οὐδ' ἄγγελός τις, οὐδὲ συμπράκτωρ ὁδοῦ
κατεῖδ', ὅτου τις ἐκμαθὼν ἐχρήσατ' ἄν;

Nec nuncius quispiam (narravit), neque itineris socius vidit (rem), cujus quis indiciis uti potuerit? ad verbum, *a quo quis resciscens (eo) uti potuerit?* Optime Meinekius (op. c. p. 222.) defendit κατεῖδε ab importunis criticorum emendationibus qui unum *videndi* verbum diversae ἀγγέλου et συμπράκτωρος personarum qualitati

convenire posse negant, acute observans in tragoedia, ubi duae res commemoratae sint, saepe unam tantum in sequentibus respici. Mihi autem verissima hujus usus causa in eo sita esse videtur quod verbum uni additum, alius quoque verbi sive ejusdem, sive cognatae, sive etiam oppositae significationis in altera omissi vim et potestatem induat ejusque vice fungatur. Quod genus dicendi non in tragoedia solum, sed in pedestri quoque oratione atticis familiare, pertinet ad schema *ἀπὸ κοινοῦ*. Cf. Funckhaen. ad Demosth. contr. Androt. § 25. Lobek. ad Ajac. v. 1036. Matth. gr. gr. § 634., 3. Thuc. I. 17. 1. II. 136. 3. IV. 3. 2. et alibi passim. Vellem ita strenue egregius vir *ἐχρήσατο* quoque a suis et aliorum emendationibus defendisset. Mihi enim persuasissum est nullo scripturae vitio locum laborare. Nam illud *ὅτου* quod ab *ἐκμαθῶν* quidem directo pendet, aut ad *ἐχρήσατο* etiam, diverso tamen casu secundum diversam verbi naturam, mente cogitandum extenditur; (Cf. Buttm. gr. gr. § 130., 1. Thuc. I. 1. 2., 40. 6., 144. 2. V. 1. etc. ibique interpretes); aut utrique simul commune est, ita tamen ut casum proximiori verbo accomodatum more solito graecorum accipiat. Quotiescumque enim participium et verbum finitum, quorum neutrum a se perfectam significationem habeant copulantur; participium illud, quod jure *complementarium* vocant, tam arcte cohaeret et quasi coalescit cum verbo finito, ut confundantur invicem, et unus utrique casus tanquam unico verbo sufficiat. Hujus rei indicium non minimum est, quod in ejusmodi lo-

cutionibus verba invicem permutari possunt, et quamvis alterum in alterius locum mutata vice successerit, ex. gr. *ἐκμαθὼν ἐχρήσατο* et *χρησάμενος ἐξέμαθε*, semper tamen eamdem significationis vim retinebunt.

Non abs re fuerit si Thucydidis locum huic fere similem, non recte ab interpretibus explicatum referam, in quo pari audacia verbum et relativum simul audiri debent. Verba sunt ex lib. I. 21. in fin. *τὰ δ' ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ, οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν, οὐδ' ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀ λ λ' ο ἷ ς τ ε α ὐ τ ὸ ς π α ρ ῆ ν κ α ὶ π α ρ ὰ τ ῶ ν ἄ λ λ ω ν ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών.* Interpretes ex semel concepta opinione ea verba *καὶ παρὰ τῶν ἄλλων* a sequenti participio gubernari, eo adducti sunt ut verbum *ἐπεξελθεῖν* quod *est ordine persequi, percensere,* sine alio veterum scriptorum exemplo *investigare* interpretarentur: praeterea particularum antitheticarum *τε καὶ* nullam rationem habentes, gravissimum illud pronuntiatum *ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου,* quo omnes res quascumque auctor historiae mandavit manifesto comprehenduntur, ad eas tantum quas ab aliis accepisset limitaverunt. Multo igitur melius, nisi mea me fallit opinio, de hoc loco statuemus, si verba ordinaverimus ita; *ἀλλ' ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθὼν* (id est *ἕκαστα ἐπεξελθὼν*), *οἷς τε αὐτὸς παρῆν, καὶ ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἤ κ ο υ σ α,* seu potius *ἐ π υ θ ό μ η ν,* quod ex superiore *πυνθανόμενος* colligere est. Duplex igitur ellipsis verbi

et relativi subest verbis *καὶ παρὰ τῶν ἄλλων*. Nam cum verbum *παρῆν* iis accommodari non possit, aliud verbum, contrariae quidem notionis, ex ipsa tamen sententiarum oppositarum natura facile eruendum desiderant, cui aptandum sit relativum quoque eo casu quem verbum istud flagitet mente repetendum. Si haec nimis abstrusa videantur (quod tamen in Thucydide minime est mirandum), non me fugit dictionis insolentiam facile tolli posse, si levissima emendatione interjecto articulo, *καὶ τὰ παρὰ τῶν ἄλλων* legatur. Verum haec nodos expediendi ratio ab instituto nostro alienissima. Praeterea salebras istas et argutias dicendi veteres scriptores attici, maxime vero Sophocles noster et Thucydides consulto adhibebant, non ut puerili ostentatione difficultatis grandior fieret oratio, quod nonnulli stulte dixerunt, sed ut populares suos, quibus nulla unquam gens ingeniosior extitit, allicerent novitate loquendi, et ut acuminibus dictionis, tanquam stimulis ad attentionem auditorum excitandam uterentur. Athenienses enim qua erant celeritate mentis in nodis illis et tricis solvendis mirifice delectabantur, eosque qui acute dixessent (sunt Cleonis verba apud Thucydidem lib. III. c. 38.) ante alios quisque laudare, quaeque ab iis dicta essent praesentire ac praegustare ambigebant.

Nemo notavit acerbam ironiam pronominis *τις* quo Creontem rex maligne ferit. Jure enim secum ipse reputat eum extincti regis propinquum regnique successorem, multo alacrius impensiusque ad leviri caedem ulciscendam incum-

bere debuisse. Jam in mentem Oedipi irrepeperat suspicio rem non sine conscio atque istigatore Creonte regnandi cupidine peractam fuisse. Vide quae infra disputavimus ad v. 219. h. dr.

v. 136.

ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀποτέρω φίλων
ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ τοῦτ' ἀποσκεδῶ μῖσος

Non animadverterunt ancipitem sensum utriusque versus. Nam praeter apertam sententiam ea verba *ὑπὲρ οὐχὶ τῶν ἀποτέρω φίλων*, et *αὐτὸς αὑτοῦ τοῦτο μῖσος*, hanc quoque latentem continent, *non pro remotis consanguineis* (videlicet pro ipso patre meo), et *scelus hoc quo ego met ipse pollutus sum.* Haec actor strenuus recitare debebat ea artis excellentia quae utramque simul sententiam auditorum animis imprimere valeret. Miro autem artificio Sophocles in toto dramate Oedipum ita loquentem inducit ut fatali quadam necessitate ejus verba ultro prodant et fateantur infelicissimam conditionem suam quam ipsemet adhuc ignorat. Cf. notat. ad v. 31., et infra ad v. 330. h. dr.

v. 145.

ἦ γὰρ εὐτυχεῖς
σὺν τῷ θεῷ φανούμεθ', ἢ πεπτωκότες.

Haec de se ipso gloriose effatur Oedipus confisus auxilio deorum qui eum ad tantam hactenus felicitatem provexerunt; primum quidem elatiore voce quae confidentiam exprimat, alterum vero eo vocis colore quo quis enunciare solet rem aliquam, ingratam quidem, quam tamen nunquam eventuram esse confidit. Si haec, ut vulgo solent, de universa Thebanorum civitate dicta intelligas, vide quaeso quam frigida et inepta erit loci sententia. De plurali iactantiae et confidentiae, praeter Matth. gr. gr. § 293., confer h. dr. v. 287., 425. etc. et alibi passim.

v. 153.

ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα δείματι πάλλων.

Perperam hunc versum interpretantur; verte *distendor trepidum pectus terrore tundens,* idest interclusâ ob metum animâ pectus turgescit, et cor, refluente sanguine, crebris palpitationibus subsilit; physiologici quos vocant terroris effectus quorum frequens apud tragicos descriptio. *Κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει* Aeschyl. Prom. 881. *διὰ στέρνων φόβος αἴσσει* Eur. Tr. 156. tumultus pectora attonitus quatit Senec. Thyest. 260. Cf. etiam Virg. Aen. III. 29. etc. Quod vero

pedestri sermone diceretur *φοβερὰ φρὴν ὑπὸ τοῦ δείματος ἐκτεταμένη πάλλεται*, audacius a nostro exprimitur quasi Terror mallei ictibus pectus interclusâ respiratione distentum feriret. Accusativus *φοβερὰν φρένα* utrique verbo *πάλλων* et *ἐκτέταμαι ἀπὸ κοινοῦ* referendus; cf. h. dr. v. 604., 639., 817. Thuc. V. 22., 69. VI. 87. Matth. gr. gr. § 468. 4. Denique taedet admonuisse antiquissima et nativa vocabuli vi, *φρενα, φρένας pectus, praecordia, viscera* potissimum significare.

v. 198.

τέλει γάρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ
τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται

Longum esset omnes doctorum virorum emendationes ad hunc locum difficilem singillatim persequi et examinare, maxime vero quum nulla sit quae satis idoneas probabilitatis notas prae se ferat. Equidem si illi interpretationi acquiescerem quam scholiasta praeeunte tantum non omnes sequuntur, levissima unius literulae mutatione *ἀτελὲς* scribi contenderem pro *τέλει* quod in libris manu exaratis invenitur. Satis enim probabilis librarii error, qui non advertens vocalem finalem vocis praecedentis *κλύδωνα* elisionem pati, *τελες* quod sic mutilum sensu carebat, facili lapsu cum *τέλει* commutavisset. Sententia esset: *quidquid malorum nox infectum reliquit, illud (superveniens) dies aggreditur (et perficit).*

Verum quum totius praeclari carminis ne-

xum et ordinem considero, haec, aliave id genus sententia, quamcumque vulgo ex hisce verbis exprimere conantur, valde aliena ab hoc loco esse videtur. Jam satis superque chorus in superiore cantionis parte miserrimam Thebanae civitatis sortem defleverat, nunc totus effunditur in id ut a diis tutelaribus civitatis imploret cessationem malorum. Ergo post Minervam modo invocatam ut pestiferum illum deum truderet in mare, et mergeret Ponto Euxino, interiectis hisce versiculis de quibus nunc disputo, statim continuata oratione Jovem, Apollinem, Dianam aliosque deos rursus precatur ut sibi opem ferant contra eumdem maleficum daemonem. Ecquis igitur non videt hosce versiculos sic interpretatos nec cum antecedentibus, nec cum subsequentibus cohaerere, causalemque particulam γάρ iis praefixam omnino explicari non posse, quum nullus verborum nexus, nulla sententiarum cognatio inter eosdem, ac proxime praecedentes subsequentesque invocationes intercedat? Nova igitur via ineunda, quae non adeo sentibus obsita ut impervia sit, dummodo νύξ et ἦμαρ non propria et naturali significatione sed allegorice accipiantur sic: *si quid enim nox dimiserit*, (hoc est, a quo nox discesserit) *illud tandem dies occupat.* Quemadmodum, inquit, nox aeterna nulla est, sic extincto crudeli illo ac pestifero deo qui veluti atra nox civitati incubuit; vel si magis placet, discussis aliquando aerumnarum tenebris, civitas pacis et felicitatis exoptata tandem luce recreabitur. Huic nostrae interpretationi suppetias affert Aeschyli locus non

multum huic absimilis, Pers. 300. *ἐμοῖς μὲν εἶπας δόμοις φάος μέγα, καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.* Homerus quoque Apollinem in Achivos pestifera tela conjicientem nocti assimilat (Il. I. 47. quo cum confer Il. XII. 463., Od. XI. 601.). His adde Aeschyl. Ag. 11. Soph. Oed. Col. 1684. Eur. Hecub. 841. Or. 237. etc. *Τέλει tandem* hic significaret dativum adverbialiter usurpatum ut *χρόνῳ*, *ἄλλῃ*, *πάντῃ* aliaque infinita, nisi *τέλος* legere malis, quod eadem significatione apud nostrum invenitur Aj. 39. *τέλος θάνοιμι καὐτὸς.* et Herod. III. 9. *τέλος ἀπικέσθαι.* Huic affinia sunt *ἐς τέλος*, *ἐν τέλει*, *τέλος δὲ,* quae in graecis scriptoribus passim occurrunt.

v. 219.

ἁγὼ (scil. ἔπη) ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος· οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον αὐτὸς μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.

Schneidewinus versum 221. hujus loci, de cujus integritate minime dubitandum, inutiliter cruciavit, nec tamen commodam aliquam sententiam ex emendatione sua extorquere potuit. Alii alias interpretationes excogitaverunt. Plures a scholiasta decepti *μακρὰν* de longo temporis spatio intellexerunt, repugnante consequentia metaphorae, et contra usum perpetuum scriptorum graecorum qui *μακρὰν*, *ἐπὶ μακρὸν*, *ἐπὶ μακρότατον ἰχνεύειν*, *σκοπεῖν*. *διηγήσασθαι*, *ἐξικνέεσθαι*, *ἀναζητεῖν*, aliaque id genus, semper de longioribus investi-

gationibus, narrationibus, disquisitionibusque dicere consueverunt. Omnes vero in iis verbis *μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον* interpretandis haeserunt. Sensus tamen totius loci apertissimus si in mentem revocentur quae ad v. 116. p. 29. supra notavimus: *levamen malorum*, inquit Oedipus, *consequeris si auscultare volueris quae tibi ego dixero, qui etsi nunquam antehac de ea re audivi* (*ξένος τοῦ λόγου*), *quique alienus fui a caede me absente patrata; nihilo tamen minus, nisi ipse met* (*αὐτὸς*) *aliquid jam indicii tenerem* (*μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον*), *longam nunc et curiosam delicti inquisitionem non promoverem.* Haec non sine venditatione quadam proloquitur, quod homo novus et peregrinus sola vi et sagacitate ingenii potitus sit iis indiciis quae hactenus alii frustra persequuti fuissent. Cujusmodi vero sint indicia ista facile est ex praecedentibus arguere. Jam a primis verbis quae ille non sine ambagibus atque haesitatione protulisse videbatur, Oedipus in suspicionem inciderat, Creontem aliquo modo conscium facinoris fuisse. Deinde ex responsionibus non satis probabilibus quas Creon subiecerat ad ea quae Oedipus ipse dedita opera insidiose percontatus fuerat, (conferantur v. 112., 124., et 128. h. dr.) magis magisque sibi persuadere caepit Creontem ipsum non participem modo, sed primarium auctorem et tantum non suapte manu necis patratorem extitisse. Eamdem suspicionem obscure jam Oedipus v. 139. seq. prodiderat dicens cavendum esse, ne eodem leto quo Lajus qui in regno prae-

cesserat interiisset, sibi quoque pereundum esset. Ceterum furor iste et fatalis caecitas mentis, qua Oedipus homines innocentissimos et maxime sibi devinctos Creontem nunc, mox Tiresiam insimnlat scelerum quae ipse solus perfecerat, quantam vim tragicam contineat, quantos animi motus et contrariorum affectuum conflictum excitet, facile quisque judicaverit.

v. 224.

ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάϊον τὸν Λαβδάκου
κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο,
τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί,
κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ' αὑτοῦ (πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν
ἀστεργὲς οὐδὲν, γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής),
εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς
τὸν αὐτόχειρα μὴ σιωπάτω, τὸ γὰρ
κέρδος τελῶ' γὼ χἠ χάρις προσκείσεται.

Omnino repudianda est hujus loci interpretatio quam a Matthia acceptam fere omnes seqnuntur, v. 227. et seq. ita explicantes, *etsi metuit, accusationem sui ipsius subterfugiens ex hac terra abeat, nihil enim aliud mali patietur.* Huic enim, si verborum nexum respicis, aperte opponitur particula *δὲ* in hemystichio *γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής*, quia absurdum esset ut primaria et finalis totius propositionis sententia includeretur et subiiceretur illi quae ab ipsa pendet ejusque consectaria est; si sen-

tentiarum ordinem et convenientiam, contradictio manifesta deprehenditur inter hunc locum et vv. 526. et 233. seqq. in quibus disertis verbis praecipiebatur ut ipse reus sceleris expiandi gratia indicium de se publice profiteretur. Propius a vera interpretatione abfuit Schneidewinus opinans orationem obiecta parenthesi intercisam fuisse a rege morae impatiente ut quanto ocius reum mortis metu liberatum mitiore exilii poena ad confitendum crimen alliceret. At nimis concitatum dicendi genus in sollemni concione nec regiae dignitatis esse videtur, nec omnem loci offensionem amolitur. Nam etiamsi Schneidewino, quamvis aegre, concesseris post *εἰ μὲν φοβεῖται* explendae sententiae gratia illud *μή φοβείσθω* mente cogitandum, particulae tamen *μὲν* anantapodoton explicandum restaret, cui nihil quod referri possit neque expressum nec tacitum in oratione invenitur.

Mihi igitur totius loci structuram accuratius pensitanti, ex prava interpunctione difficultas orta esse videtur, eamque maximam partem dilui, simul ac, ut videre est in textu supra allato, distinctione majore post *σημαίνειν ἐμοὶ* et commate post *εἰ μὲν φοβεῖται* sublatis, perpetua oratione sic grammatice ordinanda Oedipum loquentem induxerimus: *ὅστις πόθ' ἡμῶν κάτοιδεν Λάϊον τὸν Λαβδάκου ἐκ τίνος ἀνδρὸς διώλετο, τοῦτον πάντα κελεύω σημαίνειν ἐμοί· αὐτὸς μέν, καὶ εἰ αὐτὸς φοβεῖται ὑπεξελεῖν τὸ ἐπίκλημα κάθ' αὑτοῦ (ὑπεξελὼν γὰρ ἄλλο μὲν ἀστεργὲς οὐδὲν πείσεται, ἀβλαβὴς δ' ἄπεισιν γῆς)· ἄλλος δέ, εἴ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς τὸν αὐτόχειρα —*

μὴ σιωπάτω. Sic igitur teneo unicam constare verborum comprehensionem perpetuam, cujus apodosis generaliter primum respondeat iis quae generaliter in protasi enuntiata fuerant, ideoque *τοῦτον πάντα* ad *ὅστις ὑμῶν* quod praecesserat, generice prius referri: deinde apodosin ipsam ita bipartitam incedere, ut alterum quidem membrum, cuius *αὐτὸς* subiectum sit, de ipso reo crimen confitente singulariter agat; alterum vero cuius subiectum *ἄλλος*, alium de alio indicia si quae habet afferentem singulatim respiciat. Pravae autem interpunctionis eam causam fuisse existimo, quod subiecta quae vocant utriusque membri elliptice latentia, *αὐτὸς* quidem a verbis *αὐτὸς καθ' αὑτοῦ*, *ἄλλος* vero ab illis *εἰ δ' αὖ τις ἄλλον* haurienda non facile dignoscerentur; particulae vero anthitheticae *μὲν δὲ* ob interiectam parenthesin nimis invicem distarent, nec, latentibus ut modo diximus subiectis, facile dispiceretur cum quibus potissimum enunciationis partibus copulandae essent. Inde confusionis origo. Ceterum non sine arte quadam singulari, ita mea fert opinio, implicatior orationis incessus. Oedipus enim qui sibi persuasissimum haberet Creontem utique esse eum quem quaeritabant reum (confer quae fusius de hac re memorata sunt ad v. 219. p. 34.), consulto perplexe loquitur ut quem sua dicta feriant, ceteros quidem lateat, Creonti soli, quippe sui sibi sceleris conscio, facile percipiendum. Quare histrio qui Oedipi partes ageret, ea verba *αὐτὸς καθ' αὑτοῦ* cum peculiari quadam emphasi in Creontem conversus pronuntiare de-

bebat defixoque in eumdem oculorum obtutu explorare et periclitari an ille vultu proditurus esset internos animi motus, et manifestum aliquod trepidationis signum editurus esset. Plura sane in antiquis poetis scenicis occurrunt, nostra quidem judicandi ratione, inconcinna et corrupta, quae tamen si didascalias et praecepta scenica ab ipsis poetis tradita etiamnunc haberemus, aptissima et lucidissima esse viderentur.

Restat ut singula expediamus. *Πάντα* non plurale neutrum sed accusativum cum *τοῦτον* consociandum habeto; non enim *quomodo* sed *a quo* res acta sit quaeritur. Hoc vero adiectivum, praesertim pronominibus additum, pronominalem naturam induere tralaticium est. *Ὑπεξελὼν* quod optime interpretatur Schneidewinus *ex imo pectore depromere*, cur in *ὑπεξέλοι* suadente Dindorfio (praef. ed. IV. p. 21.) commutari debeat non video. Nam optativi modestior potestas parum efficax et imperiosa esset pro eo quo rex ardet reum agnoscendi desiderio. Participii vero usus, ubi quis infinitum post verbum timendi (Matth. gr. gr. 534. 520.) aptius judicavisset, explicatur a subsequente verbo *πείσεται* a quo reapse *ὑπεξελὼν* grammatice pendet, ita tamen ut infinitum quoque *ὑπεξελεῖν* post *φοβεῖται* cogitandum contineat. (Rost. gr. gr. § 98. 3. et interpp. ad Thuc. I. 1. III. 16., 64. IV. 93. VII. 41., 69. etc.) Denique notabis anacoluthon frequens post sententiam parenthesi interruptam, de quo consule Matth. gr. gr. § 611. 3. et Schneidewinum ad h. loc. Etenim quasi oblitus illorum quae

antea dixerat, *τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί*, sententiae quae verbis *τὸν αὐτόχειρα* absoluta erat novam clausulam addit *μὴ σιωπάτω*, tamquam si novus a parenthesi orationis ambitus inchoaretur. Non infitior omnia quae hactenus ad hunc locum expediendum disputavimus supervacanea fieri, si spreta librorum auctoritate Heimsoethium (op. cit. p. 92.) *καὶ μὴ φοβείσθω* ad v. 227. violenter corrigentem sequeremur.

v, 276.

ὧδ', ἄναξ, ἐρῶ·
οὔτ' ἔκτανον γάρ, οὔτε τὸν κτανόντ' ἔχω
δεῖξαι·

Coryphaeus dum *ὧδε ἐρῶ* pronuntiaret capite, manu, aliove corporis motu apertae et vehementis negationis signum exserere debebat. *Γὰρ* igitnr non dictum respicit, quod nullum hic extat, sed eum gestum et motum actoris, quo multo acrius et significantius quam ipsa voce rem sibi compertam esse actor denegavit. Contra in v. 1117. infra h. dr. *γὰρ* refertur ad gestum aliquem histrionis rem sibi notam esse innuentis. Cf. quae de usu particulae monuimus ad. v. 80.

v. 280.

πάλαι δὲ μὴ παρὼν θαυμάζεται

θαυμάζεται non impersonale est, sed eius subiectum quod vocant est Tiresias v. 285. laudatus, hic mente recolendus.

v. 293.

τὸν δ' ἰδόντα οὐδεὶς ὁρᾷ

Injuria *ἰδόντα* suspectum habent. Qui *δρῶντα* malunt, non animadvertunt non quaeri hic quis auctor caedis extiterit, sed tantum quid statuendum sit de rumore illo absurdo et rancido (*κωφὰ καὶ παλαιὰ ἔπη*) qui tunc percrebuerat, Lajum a viatoribus quibusdam interfectum fuisse. Ipsa verborum ejusdem notionis *ἰδόντα ὁρᾷ* artificiosa consociatio, non sine quadam derisione rumoris vanitatem demonstrat. Nam si nemo vidit eum qui talia viderit, is nunquam extitit; ideoque nihil eorum quae ipsum vidisse ajunt videre potuit. Si cum Heimsoethio (op. cit. p. 91.) *τὸν δὲ δρῶντα οὐδεὶς ἐρεῖ* substituas, vide quaeso quam flaccescat oratio.

v. 316.

φεῦ φεῦ φρονεῖν ὡς δεινὸν ἔνθα μὴ τέλη
λύει φρονοῦντι.

Heu, heu quam grave est sapere quando ipsimet sapienti id offuturum sit! *Φρονοῦντι* non participium pro infinito, ut Schneidewinus contendit, sed dativus verbo *λυσιτελεῖν* aptus. *Μὴ λυσιτελεῖν* vero valet *graviter obesse.* Hoc enim attenuationis genus in atticis scriptoribus frequentissimum, ut contrarium potius negent ejus rei quam impensius affirmare atque inculcare desiderant.

v. 334.

ΘΙ. ὁρῶ γὰρ οὔτε σοὶ τὸ σὸν φώνημ' ἰὸν
πρὸς καιρόν· ὡς σῦν μήτ' ἐγὼ ταὐτὸν πάθω...
ΟΙ. μὴ πρὸς θεῶν φρονῶν γ' ἀποστραφῇς.

Longius a vera interpretatione discesserunt interpretes. Non enim hic agi de aposiopesi verbi alicujus tacendi, ut inaniter commentatus est scholiastes, cui tamen, quod miror, adstipulatur Schneidewinus; nec ullo scripturae vitio textum laborare manifestum erit, si probe intelligatur quod verbis conticetur, illud spectatorum oculis obiici actione ipsa ab histrione in scena perficiendum. Nam eo processit res, ut Tiresiae nullum adhuc subsidium supersit, quominus omnia pandere et revelare cogatur nisi in fuga. Igitur

actor qui Tiresiae partes sustinet, simul *ὡς μήτ' ἐγὼ ταὐτὸν πάθω* prununtians, illico discessurus convertitur, suspensam orationem ipsa facti evidentia eloquentius quam ullo dicto perficiens. Quem ut Oedipus abeuntem conspicatur, *ne per deos, inquit, si rem sapis, te hinc averteris. Ἀποστρέφεσθαι* primaria et nativa significatione est *convertere se,* praecipue abeundi vel fugiendi causa; ne longius exempla conquiram cf. h. dr. v. 431. *οὐ πάλιν ἄψορρος οἴκων τῶνδ' ἀποστραφεὶς ἄπει*; *aversandi* vero significationem, huic quidem loco minime idoneam, nonnisi per translationem adipiscitur. Quod attinet ad verborum nexum, post inchoatam orationem *οὔτε σοὶ τὸ σὸν φώνημ' ἰὸν*, expectares ut continuaretur *οὔτε μοι κ. τ. λ.;* sed variata, more Sophocleo, structura, necesse fuit ut alterum *οὔτε*, quod cum finali particula *ὡς* commode amplius sociari non poterat, in *μήτε* commutaretur. Dindorfius non ita feliciter, ut solet vir praestantissimus, hunc locum (praef. cit. pag. 22.) expedivisse videtur.

v. 328.

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά.

Hic locus, quem Dindorfius (ibid.) inter eos recenset quos philologi criticorum cruces appellare solent, a scholiasta, Wundero plaudente, explicatur, *οὐκ ἐμφανῶ τὰ ἐμὰ ἔπη, ἵνα μὴ εἴπω τὰ σὰ κακά.* Sed verborum collocatio ea est ut,

incolumi grammatica nullo pacto huic sensui accomodari possint, quasi vero ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σὰ ex consuetudine graeci sermonis idem sit ac ὡς μὴ εἴπω ἂν τὰ σά. Vir bonus non vidit μὴ particulam, modo simplicem negationem esse, modo conjunctionis finalis vim accipere; quod quotiescumque fit, suum quod ipsa regit verbum praecedat semper oportet, neque ita ab eo divelli patitur ut restet dubitandi locus ad universum ne pronuntiatum, an ad partem tantum negandi vim allatura sit. Recentiores critici, si quo offenduntur nimium faciles rifingere, varias pro ingenio quisque suo conjecturas proponunt. Omnes tamen eodem revolvuntur ut Tiresiam illa jam aperte confitentem inducant, quae ipse, ex toto diverbio luculenter apparet, silentio premere certum constitutumque habet, nec propositum destituet nisi quando Oedipi contumeliis in furorem abreptus, amplius sui compos non erit. At ex iis verbis eo ipso quo collocata sunt ordine, sensum et quidem aptissimum elici posse existimo, dignus, si fallor, qui iisdem crucibus affigar quas faciliter convelli posse speraverim. Sic igitur construens, ἐγὼ οὐ μήποτε ἐκφήνω κακὰ τ ὰ ἐ-μ ὰ, ὡς ἂν εἴπω μὴ τ ὰ σ ὰ, interpretor. *Ego vero neutiquam revelabo mala* mea *sicuti ego dixero... non* tua. Idest « ego ne horrendam quam sinu foveo veritatem in lucem proferam nunquam patefaciam mala quae *mea* nunc appellabo, quamquam *tua* recte dicenda essent, tua enim vere sunt et te solum respiciunt ». Vatis autem dictio consulto obscura et perplexa ut ejus

sensus, spectatoribus quidem perspicuus, Oedipum lateat, quem fata premunt ut ipse suam infelicissimam conditionem investigando perdiscere debeat. Hoc autem respectu Tiresias sua dicit, sive quod eorum quodammodo et ipse cum civitate universa particeps sit, iisque propter obsequium et benevolentiam suam erga regem tamquam propriis condoleat; sive quod eorum cognitionem et quasi possessionem ipse solus modo tueatur ex augurali quam profitetur arte sibi jure acquisitam. Illa autem particula *μὴ* utrumque considerari potest, vel simplex negatio, quod mihi praestare videtur, vel particula etiam finalis quae dicendi verbum, *εἴποιμι* ex. gr. a praecedenti *εἴπω* mente iterum cogitandum desideret. *Ὡς* non finalem sed comparativam vim habet; nota sunt *ὡς ἂν εἴποι τις*, *ὡς ἂν τύχοι* aliaque istiusmodi a quibus non discrepat haec de qua agimus locutio, nisi conjunctivi pro optativo usu. Atqui conjunctivus cum *ἂν* apud antiquissimos scriptores exprimere solet eam animi propensionem ad aliquid dicendum vel faciendum quae apud seriores frequentius exprimitur futuro indicativi modi; quod tamen futurum eo sensu usurpatum non habet absolutam futuri potestatem sed hypotheticam quodammodo et concessivam, qua libenter, facile, confidenter, ex animi sententia nos aliquid facere, vel jam fecisse, aut mox facturos esse in gratiam alicujus rei vel personae concedimus ac profitemur. De hoc conjunctivi usu ejusque cum futuro cognatione cf. Matth. gr. gr. § 517. not. 5. et 520. n. 2. Hermann. de part. *ἂν* p. 81., 166. Freytag

ad Il. I. p. 73. Homer. Il. I. 137., 139., 184. II. 139. etc. Nec desunt aliorum quoque scriptorum exempla quae huic interpretationi auxiliantur, Soph. Aj. 1369. Aesch. Pr. 10. Coeph. 18. Eur. Phoen. 92. Xen. Anab. II. 5. 16. Mem. II. 2. 5. Pind. Pyth. IV. 90. Plat. Crit. p. 50. C., 51. A., Io. p. 535. C. Herod. I. 129. Thuc. I. 33., 140. Eamdem adiectivorum possessivorum non sine emphasi oppositionem invenies h. dr. v. 320. et 1147.

v. 330.

ἀλλ' ἐννοεῖς
ἡμᾶς προδοῦναι καὶ καταφθεῖραι πόλιν

Non animadverterunt artificiosam hujus versus dilogiam, prout ἡμᾶς tanquam subiectum quod vocant vel obiectum infinitorum accipiatur. Anceps sententia, ex mente quidem loquentis significat, *cogitas prodere nos civitatemque funditus perdere*; re autem quasi deo aliquo cogente verissima de se praefatus: *tu*, inquit, *cogitas nos esse proditores et eversores hujus civitatis.* Pari ambiguitate jam supra v. 260. sqq. Oedipus ipse uxorem appellaverat *γυναῖκα ὁμοσπορον*, et filios quos illa peperisset *κοινῶν παίδων κοινὰ ἐκπεφυκότα*, ignorans terribilem veritatem quae in hisce dictis lateret. Quarum locutionum si tragicam vim assequerentur, eas nec inutilibus emendationibus vexarent, nec stulte obscuritatis arguerent. Confer etiam notata ad v. 136. h. dr.

v. 337.

ὀργὴν ἐμέμψω τὴν ἐμήν, τὴν σοὶ δ' ὁμοῦ
ναίουσαν οὐ κατεῖδες.

Tu qui meos viluperas mores, tuum cum quo consuescis Scelus non vides. Recte Dindorfius ὀργὴν primo loco interpretatur de animi indole. Tiresias enim respondet ad ea quae nuper sibi objurgaverat Oedipus, quod esset inexorabili quodam et in aevum pertinaci ingenio (ἄτεγκτος κἀτελεύτητος). At secundo loco duplici sensu vates ὀργὴν pronunciat, verbo quidem iram significans, re autem Iocastam ipsam, quam passive Iram seu Abominationem appellat quod illius nefanda consuetudo cum filio deorum odium et indignationem provocaverit. Ὁμοῦ ναίουσαν utrumque respicit, proprie de Iocasta cum qua Oedipus cohabitat, metaphorice de ira accipiendum.

v. 350.

ἐννέπω σε τῷ κηρύγματι
ᾧπερ προείπας ἐμμένειν, κἀφ' ἡμέρας
τῆς νῦν προσαυδᾶν μήτε τούσδε μήτ' ἐμέ,
ὡς ὄντι γῆς τῆσδε ἀνοσίῳ μιάστορι.

Ὄντι ἀνοσίῳ μιάστορι epexegesis dativo personae σοὶ, quem verbum quidem ἐννέπω postulavisset sed latet quodammodo dativus iste et continetur in accusativo σὲ (cf. adnot. v. 31.), quo usus est poeta ob attractionem sequentis infiniti

ἐμμένειν, sive ut molestam ejusdem pronominis *σοὶ*, *σὲ* repetitionem vitaret, sive potius quia metri necessitate coactus *σοὶ* adhibere non potuit. *Σὲ* igitur quamvis accusativus sit *subiecti loco* quem vocant ad infinitum *ἐμμένειν* unice pertinens, nihilo tamen minus quum dandi quoque casum post verbum *ἐμμένειν* more solito omissum contineat, et quodammodo repraesentet, tenendum est appositionem *ὄντι ἀνοσίῳ μιάστορι* ita ipsi adhaerere, et cum reliqua oratione accommodari, tanquam si dativus re vera praecesserit. Alii alia, mihi quidem non satis probabilia, commentati sunt.

v. 413.

σὺ καὶ δέδορκας κοὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ

Sanissima hujus versus scriptura, nec ratio est cur *δεδορκὼς οὐ βλέπεις* substituatur. Indicativus enim geminatus cum geminata itidem particula *καὶ* multo majorem vim ex oppositione contrariarum videndi et simul non videndi notionum orationi tribuunt, quam si consuetiore illa sed non aeque vivida dicendi forma uteretur. Quare Dindorfio libenter assentior bonam lectionem minime convellendam esse.

v. 425.

ἅ σ' ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις

Synchysis et brachylogia pro ampliore sententia *ἅ ἐξισώσει σὲ τοῖς τέκνοις σοῖς, καὶ τὰ τέκνα σὰ σοὶ* « quae exaequabunt te filiis tuis, quorum frater simul esse comperieris, et filios tuos, quos et fratres tuos esse cognosces, tibi ». Viri docti sinceram, si qua est alia, lectionem inutilibus conjecturis male vexant.

v. 426.

καὶ τοὐμὸν στόμα
προπηλάκιζε.

Quamvis vox *στόμα* saepius apud tragicos verba, dicta, orationem significet (cf. h. dr. v. 671. 706., 1219. etc.) hic tamen verbo *προπηλακίζειν* juncta, propriam oris significationem retinere videtur. Acerbissimum enim convicium habetur quod in os alicujus ingeritur; neque absimili locutione de eo qui patitur, *os contumeliis offerre* latini dixerunt: *τόλμης πρόσωπον* de impudentissima audacia dictum invenies infra h. dr. v. 532.

v. 445.

ὡς παρὼν σύ γ' ἐμποδὼν
ὀχλεῖς.

'Εμποδὼν hic adverbialiter usurpatum valet *ἐν ποσὶ ὢν, pro pedibus, inter pedes,* et cum *παρὼν* sensu conjungendum: *nam hic inter pedes stans praesentia tua enicas.* Nos italico sermone diceremus *qui tra' piedi mi annoi.* Interpretes nodum in scirpo quaerunt.

v. 476.

φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πετραῖος ὁ ταῦρος
μέλεος μελέῳ ποδὶ χηρεύων.

Πετραῖος ὁ ταῦρος optima lectio optimi codicis laurentiani, quam omnibus emendationibus et conjecturis huc a doctis viris invectis praeferendam esse statuo. Et sane particulae *ὡς, ἅτε* quas ipsi inducunt, languidam quantum nimium orationem efficiunt, nec satis accommodantur lyricae dictioni, cujus incessus liberior et a comuni loquendi usu remotior solitos sententiarum nexus spernere solet. Nec video cur adeo offendantur articulo. Etenim in hujusmodi poetarum locutionibus distinguendum, utrum agatur de nomine per translationem permutando, cui quidem articulum minime convenire concedo; an de peculiari

aliqua et pressius circumscripta significatione nomini tribuenda, quae ex adiunctis maxime cum quibus nomen ipsum consociatur dignoscenda sit. Iam vero adiectivum sine articulo, quod praecedat vel subsequatur substantivum cum articulo, praedicativam quam vocant potestatem ipsi tribuit, qua fit ut vocabuli ampla significatio certae addicta sententiae, angustioribus finibus coerceatur (Matth. gr. gr. § 276. n. 6. et Curt. § 387.). Quemadmodum igitur etiam alibi in hoc dramate, ne longius abeam in re trita, articulus peculiarem aliquam substantivorum acceptionem ab epithetis invectam determinat, ex. gr. *ὁ πυρφόρος θεὸς* (v. 27.); *Ἄρεα τὸν μαλερὸν* (v. 190.); *τὴν ῥαψῳδὸν κύνα* (v. 371.) etc., sic adiuncta illa *πετραῖος*, *μέλεος μελέῳ ποδί*, *χηρεύων*, cum quibus *ταῦρος* sociatur, articulo accedente non taurum quemvis sed peculiarem tauri qualitatem et statum designant, taurum nempe agrestem et solivagum qui pugna a felici rivali superatus, per sylvas per rupes errat viduatus (*χηρεύων*) dilecta juvenca. Hunc elegantissimis versibus quibus hic locus maxime illustratur, descripsit Virgilius Georg. III. v. 203.

Victus abit, longeque ignotis exsulat oris
Multa gemens, ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores,
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni cura vires exercet et inter
Dura jacet pernox instrato saxa cubili
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta etc.

In epexegesi vero articulus id praestat ut con-

spicuas reddat adiectiones quibus subiectum describitur atque definitur (Matth. gr. gr. § 274. et 275.). Denique considerari etiam potest veluti articulus subiecti instar loco pronominis demonstrativi (de quo articuli usu, praeter Matth. gr. gr. § 264., confer Fritzsche quaest. Lucian. p. 76. Stallbaum ad Plat. Polit. I. p. 331. E. Heindorf. ad Plat. Phoedr. p. 354. Soph. Oed. Col. v. 1846. etc.), quasi poeta lyrico furore correptus non amplius hominem sed taurum agrestem hac illac discursantem videat. Quae cum ita sint articulus sive praedicativam sive exegeticam sive subiecti tandem vim ipsi concesseris, optime huic loco quadrare videtur.

v. 564.

ΟΙ. ἐμνήσατ' οὖν ἐμοῦ τι τῷ τότ' ἐν χρόνῳ;
ΚΡ. οὔκουν ἐμοῦ γ' ἑστῶτος οὐδαμοῦ πέλας.
ΟΙ. ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔσχετε;
ΚΡ. παρέσχομεν, πῶς δ' οὐχί; κοὐκ ἠκούσαμεν.

Critici non bene assequuti videntur argumentationis vim quae in hoc diverbio contineretur, proinde versum 568. aut spurium habent aut foedissime mulcant. Omnia sibi perfecte constant. Oedipo primum captiose interroganti num Tiresias vel antea de se mentionem fecisset, Creon negative statim respondet. Instat Oedipus (idque non sciscitandi causa de re sibi nota, utrum inquisitio facta fuerit nec ne, sed potius ut Tiresiam et Creontem ambo contradictionis et men-

dacii arguat): *nonne inquisitionem de extinto rege habuistis?* Cui ille rursus: *inquisitionem utique habuimus sed nihil tale de te tunc a Tiresia dictum audivimus.* Si ita res est *ἠκούσαμεν* non ad *ἔρευναν παρέσχομεν*, verum ad superiora *ἐμνήσατό τι* relatum omni offensione suspicionis liberabitur. Meinekio vero (op. c. p. 229.) non probatur *θανόντος* cui *κτανόντος* substituit. At *ἔρευνα τοῦ θανόντας* nihil aliud est dii boni, nisi *ἔρευνα περὶ τοῦ θανόντος*, hoc est *πῶς καὶ παρά τινος ὁ θανὼν ἔθανε.* Si veterum scriptorum felicissima dicendi libertas ad eas angustias quibus vernacula idiomata insita necessitate premuntur redigenda esset, infinitas id genus correctiones in singulas fere scriptorum paginas invehere cogeremur. De hujusmodi genitivorum emphasi cf. supra not. ad v. 48. h. dr. et Matth. gr. gr. § 342., 343.

v. 597.

νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες ἐκκαλοῦσι με

Dindorfius conjecit *αἰκάλλουσί με*, perineptum reputans a quovis homine privato ea quae sua tantum intersint petituro, Creontem ex aedibus evocari. At non ex aedibus hercle, sed ab interiore tantum regia in aulam sive atrium ubi hospites et amici excipiebatur. Imo antiquae morum simplicitati, pace tanti viri dixerim, non absonum fuisset Creontem vel ex aedibus evocari, eoque magis quod, ut recte observat Meinekius

(o. c. p. 180), res clam Oedipo erat agenda. In theatro vero id omnino necessarium, quandoquidem histriones qui regum vel heroum partes tuerentur ex interioribus aedibus in forum ante regiam situm prodeuntes agebant. Quare Oedipus ipse v. 951. h. dr. dum in scenam a Iocasta evocatus regreditur ait,

Τί μ' ἐξεπέμψω δεῦρο τῶνδε δωμάτων;

in quo quidem versu obiter notabo sine causa demonstrativum suspectum videri Heimsoethio (op. c. p. 281.) *δεῦρο δωμάτων πάρος* corrigenti: nam demonstrativum sive de persona sive etiam de loco *δεικτικῶς* in scena prolatum, significat personam illam adesse, vel in eo tandem loco esse. Porro *αἰκάλλειν* semel in tragoedia, idque convicii causa, de blanditiis caninis usurpatum invenimus ab Euripide Andr. 628., de viro principe ac dignitate paene regia, non satis conveniens et a magniloquentia tragica abhorrens videtur.

v. 600.

οὐκ ἂν γένοιτο νοῦς κακὸς καλῶς φρονῶν.

Sententiae brevitas et parechesis illa *κακός καλῶς* proverbialem locutionem produnt; eaque ratio est cur *νοῦς* articulo careat quod proverbiorum naturae maxime consentaneum. Ceterum si verba ita construantur *νοῦς καλῶς φρονῶν οὐκ ἂν γένοιτο κακὸς*, lectionem optime constare apparebit, inutilemque medicinam versui sanissimo Heimsoethium (op. c. p. 79.) attulisse sic emen-

dare conatum,

οὐκ ἂν γένοιθ' οὕτως ὁ νοῦς κακῶς φρονῶν.

Qui si verborum collocatione adeo offendebatur, retentis etiam iisdem textus verbis, facillime ingratum illud *sigmatismum* vitare potuisset sic melius ordinans,

οὐκ ἂν κακὸς γένοιθ' ὁ νοῦς καλῶς φρονῶν.

v. 601.

ἀλλ' οὔτε ἐραστὴς τῆσδε τῆς γνώμης ἔφυν
οὔτ' ἂν μετ' ἄλλου δρῶντος ἂν τλαίην ποτέ.

Hos quoque versus, si totius orationis structuram inspexeris, nulla emendatione indigere facile tibi persuasum erit. Continent enim epilogum et conclusionem eorum quae v. 587. et seqq. demonstranda susceperat; ideoque *ἐραστὴς ἔφυν* est illud idem quod fere simili locutione *ἱμείρων ἔφυν* supra v. 587. expresserat; et *οὔτε μετ' ἄλλου δρῶντος κ. τ. λ.* ejusdem sententiae repetitionem continent, quam antea v. 589. verbis *οὐδ' ἄλλος ὅστις κ. τ. λ.* enunciaverat. Ex participio autem *δρῶντος* infinitivum quoque *δρᾶν* post verbum *τλαίην* eleganter omissum eliciendum est, cujus generis *ἀπὸ κοινοῦ* seu *communis usus* obvia sunt exempla. Cf. quae supra ad v. 224. monuimus, et Matth. gr. gr. § 634.

v. 604.

πεύθου τὰ χρησθέντ' εἰ σαφῶς ἤγγειλά σοι

Dele comma post *χρησθέντα*, nam accusativus est communis usus utrique verbo *πεύθου* et *ἤγγειλα* referendus.

v. 639.

ὅμαιμε δεινὰ μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν,
ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβών.

Dindorfius (praef. ad Lucian. vol. 2. p. 18.) et Meinekius (op. c. p. 231.) ut contradictionem tollerent quae inter hosce et praecedentes versus 622 — 625 intercedere videtur, utrumque locum refingere non dubitarunt, non tamen ita feliciter ut omnem difficultatem et inconcinnitatem amoverent. Longum esset singula persequi, dicam solum nullam probabilitatis speciem habere illud *στέγης ἔξω βαλεῖν* quod Meinekius ad v. 622. conjecit. Quo enim pacto Creon, qui optime noverat Laii occisorem exsilio et morte plectendum esse, sperare poterat tam benigne secum actum iri, ut nihil aliud sibi mali perpetiendum esset, quam expulsionem a regia? Superest ut, conjecturis missis, experiamur an excogitari possit aptior aliqua interpretatio qua utriusque loci conflictus penitus dirimatur; idque facile, nisi animus fallit, assequemur, si retenta vulgata v. 640.

lectione, reliqua ordinaverimus sic: *Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις δυοῖν κακοῖν, ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβὼν ἀποκρίνας δεινά με δρᾶσαι δικαιοῖ*, sensusque erit: *Oedipus maritus tuus de duobus malis, exsilio scilicet vel morte eligens atrocissima in me facere decrevit;* id est de duobus morte vel exsilio, quod gravius est eligens, me morti tradere constituit. Quod quidem *δεινὰ δρᾶσαι*, licet per euphemismum a Creonte dictum sit, majorem tamen emphasin habet, quam si nudum verbum occidendi repetivisset. Quarum enim rerum natura non satis distincta ac definita mentibus nostris obiiciatur, iis magis percellimur et conturbamur. *Δυοῖν* ante enunciatum disjunctivum eodem modo a Thucydide usurpatum invenies lib. I. 32. *μηδὲ δυοῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν ἢ κακῶσαι ἡμᾶς ἢ σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι*, ubi *θάτερον*, quod invitis libris huc quoque invehere vellent, pariter desideratur. De articulo utrinque omisso cum infinitis consule Matth. gr. gr. § 542. adn. I. 6. *Δεινὰ* vero ad utrumque verbum *ἀποκρῖνας* et *δρᾶσαι* aeque pertinet. *Ἀποκρίνας* denique quod doctis viris negotium facessebat, nunc sensu ipso flagitante necessarium redditur, ita tamen ut *ἀποκρίνας δεινὰ* adiectivi alicujus gradus comparativi vim quodammodo ac potestatem habeant; quasi dicatur *τοῖν δυοῖν κακοῖν τὸ δεινότερον δρᾶσαι δικαιοῖ*. Hac interpretandi ratione incolumi, quod maxime refert, textus scriptura, contradictio illa cum superioribus evanescit, et dictio querimoniae et indignationis plena majorem vim tragicam assumere videtur.

v. 700,

ἐρῶ.......
Κρέοντος οἷά μοι βεβουλευκὼς ἔχει.

Genitivus pendet a substantivo *βουλεύματα* quod latet in *βεβουλευκὼς*, id est *ἐρῶ Κρέοντος βουλεύματα οἷά μοι βεβουλευκὼς ἔχει*. Similiter explicatur genitivus post verbum *ἄρχειν* apud Thucyd. II. 12. et 53. etc. ubi vid. interpp.

v. 702.

λέγε, εἰ σαφῶς τὸ νεῖκος ἐγκαλῶν ἐρεῖς.

Narra, siquidem contentionis quem in culpa ponas certo dicere habes: τὸ νεῖκος utriusque simul verbi *ἐγκαλῶν* et *ἐρεῖς* obiectum est (cf. not. ad v. 601.). Heimsoethius (op. cit. p. 81.) *ἔχεις* pro *ἐρεῖς* substituit, quod et auribus ingratum ob clausulam similem versus praecedentis, et multo languidius.

v. 724.

ὧν γὰρ ἂν θεὸς
χρείαν ἐρευνᾷ ῥᾳδίως αὐτὸς φανεῖ.

Quarum enim rerum necessariam investigationem judicat deus, eas ultro in lucem proferet. Recte in ms. Monacensi *χρείαν ἐρευνᾷ* explicatur *χρείαν ἐρευνῆς παρίστησιν*, densum et

compendiosum dicendi genus, de quo cf. Hom. Il. I. 125. et 309. XIII. 166. Matth. gr. gr. 634. Bernhard. p. 457. Böttich. lex. Tacit. p. 75.

v. 728.

ποίας μερίμνας ταῦθ' ὑποστραφεὶς λέγεις;

Dindorfius conjecit *τοῦθ' ὕπο στραφεὶς*, Meinekius vero (op. c. p. 238.) *ποίᾳ μερίμνῃ*. At nulla emendandi necessitas. Genitivus enim repetendus est vel a praepositione qua verbum componitur, vel a substantivo *ὑποστροφῇ* quod in participio *ὑποστραφεὶς* quodammodo continetur, quasi dixerit *ποίας μερίμνης ὑποστροφῇ ὑποστραφεὶς*. Cf. quae ad v. 702. annotavimus.

v. 740.

OI. . . . . τὸν δὲ Λαΐον φύσιν
τίν' εἶχε φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης ἔχων.
IO. μέγας, χνοάζων ἄρτι λευκανθὲς κάρα.

Repetitio verbi *ἔχειν* in oratione turbata non est reprehendenda, quin exprimit animi sollicitudinem qua angitur is qui loquitur. *Ἥβη* vero cur criticos offenderit nescio, maxime vero accedente voce *ἀκμὴν*, qua non adolescentiam sed maturiorem aetatem significare voluisse manifestum fit. *Ἀκμὴ* enim *maturitas* est; de virilitate usurpavit Plat. Polit. 5. p. 461. A. Phaed. p. 230. B. Plutarch. Pomp. 2. etc. Praeterea quid mirum

si per denominationem seu metonymiam certam ac peculiarem aliquam aetatem pro indefinita ac generica aetatis notione usurpavit? Nonne hoc genus loquendi poetae suo quodam jure sibi vindicant? Praesertim vero quum ἥβη proprie de pilis succrescentibus dictum facili translatione ad capillos plus minus maturescentes extendi possit, idque apud graecos qui utrosque uno eodemque τριχῶν vocabulo noncupabant? Quare τίνα ἀκμὴν ἥβης ἔχων *quo capillorum colore et maturitate*, latine vertere non dubitarem. Cui quidem interrogationi mirifice quadrat quae subiicitur Iocastae responsio; χνοάζων ἄρτι λευκανθὲς κάρα, *prima canorum lanugine spargens caput albescens.* Elegantissimae sane lectionis venustatem non persensisse videntur qui emendare contendunt. Χνοάζειν enim a primo juventutis flore hic audacter translatum ad primam canitiem, ob similitudinem quam cani nigris capillis suffusi habent cum lanugine qua pubescentes adolescentulorum genae adsperguntur: λευκανθές vero proleptice additur ad translationis sensum melius declarandum. Jure enim audacioribus metaphoris aliquid addere solent poetae, quo nimium late patens schematis licentia angustioribus finibus circumscripta coerceatur, qua de re cf. Lobeck ad Ajac. v. 309.

v. 763.

ἄξιος γὰρ οἵ' ἀνὴρ δοῦλος
φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

et v. 1117. infra.

Λαΐου γὰρ ἦν
εἴπερ τις ἄλλος πιστὸς ὡς νομεὺς ἀνήρ.

Haec loca invicem collata mutuam sibi opem afferunt ad criticorum conatus una vi repellendos. Nam aut immerito illinc *δοῦλος* detruditur, cui *εὔνους* aut *πιστὸς* substituunt; aut *νομεὺς* quoque eodem jure istinc migrare debet. Quarum vero particularum *οἷα* et *ὡς* communis in utrovis loco significatio sit, illas communis etiam judicii sortem experiri oportet, neque una accepta alteram repudiari. Praeterea utriusque vim non satis perspexisse videntur interpretes. Etenim neque illic significatur maximas gratias cuivis servo persolvendas esse, neque hic pastores omnes semper esse fideles; quibus sententiis nihil absurdius cogitari posse facile et ipse consentio. Illud potius iis voculis exprimitur, quod ille quidem, quantum servulo concessum est de dominis potentissimis promereri, praestiterit ut majori etiam beneficio dignus haberetur: alter pro sua quamvis humili pastoris conditione, ita regi probatus fuerit, ut prae ceteris Lajo fidissimus esset. Ergo nihil mutandum.

v. 815.

τίς τοῦδέ γ' ἀνδρὸς νῦν ἔστ' ἀθλιώτερος;

v. 827.

Πόλυβον ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με.

Uterqne versus injuria rejicitur. Alter enim, si cum Wundero labantem mensuram restituas, nihil habet cur extrudendus sit, quippe consentaneum est ut Oedipus in suis malis recolendis nimius immoretur, ex ipsis querimoniis aliquod doloris levamen petiturus. Alter vero singularem affectus vim continet. Oedipus enim vehementissimo cum desiderio commemorat patrem amantissimum a quo genitus, ut ipse opinabatur, atque aeducatus fuerat; eaque recordatio auget moestitiam infelicissimi regis, quod illum posthac, teterrimi oraculi causa, nunquam revisurus sit.

v. 830. et seqq.

Haec vere miseranda Oedipum aris in atrio regiae domus supplicem advolutum proferre cogita.

v. 836.

καὶ μὴν τοσοῦτόν γ' ἐστί μοι τῆς ἐλπίδος
τὸν ἄνδρα τὸν βοτῆρα προσμεῖναι μόνον.

Μόνον et sensus et ratio grammatica cum *τοσοῦτον* conjungendum esse aeque postulant. Cf. Oed. Col. v. 790. Aeschyl. Prom. 791. quod puduisset monere, nisi interpretes falsos vidissem.

v. 846.

εἰ δ' ἄνδρα ἕνα οἰόζωνον αὐδήσει

Si unicum, eumque inermem viatorem dixerit. Utraque notio et *viatoris* et *inermis* inest voci *οἰόζωνος*, quod miror lexicographos non animadvertisse. Nam viatores quidem *οἰόζωνοι* idest *μόνῃ τῇ ζώνῃ ἐζωσμένοι* sola tunica praecincti; milites vero, venatores, latrones, non sola tunica sed armis quoque praecincti, *ἐζωσμένοι μὲν, ἀλλ' οὐκ οἰόζωνοι* incedebant. Imo Ovidius (Trist. II. 271.) ne viatores quidem inermes iter facere vult,

Et latro et cautus praecingitur ense viator,
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

v. 883.

εἰ δέ τις ὑπερόπτα χερσὶν ἢ λόγῳ πορεύεται
Δίκας ἀφόβητος, οὐδὲ δαιμόνων ἕδη σέβων,
κακά νιν ἕλοιτο μοῖρα
δυσπότμου χάριν χλιδᾶς.

εἰ μὴ τὸ κέρδος κερδανεῖ δικαίως
καὶ τῶν ἀσέπτων ἔρξεται,
ἢ τῶν ἀθίκτων ἕξεται ματάζων,
τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνὴρ θυμοῦ βέλη
εὔξεται ψυχᾶς ἀμύνειν;
εἰ γὰρ τοιαῖδε πράξεις τίμιαι
τί δεῖ με χορεύειν;

In parum certa librorum scriptura haec profecto probabilior lectio esse videtur a doctis viris praestita. Ad sensum quod attinet, *θυμοῦ βέλη* in v. 892. Dindorfius explicat *conscientiae stimulos.* Attamen si metaphorae vim spectes, *ἀμύνειν βέλη propulsare tela* potius de re quapiam exstrinsecus impetente jure dictum existimes, quam de internis animi motibus et perturbationibus. Quare ne Schneidewino quidem accesserim haec interpretanti de indignationis stimulis, quos Chorus neget se amplius compescere posse. Nam exemplum ab Antig. v. 1085. petitum contrariae potius suffragatur sententiae, siquidem illic etiam agitur de telis ab extra in animum immissis. Equidem *θυμοῦ βέλη indignationis* utique *tela* intelligo, non ea tamen quae in imo corde lateant, sed quae ab iratis diis hominibusque in impios conjiciantur. Praeterea a v. 889. novam sententiam inchoari existimo, eamque non cum praecedentibus, ut assolent, sed cum sequentibus uno orationis ambitu colligari, ut grammaticus verborum ordo sit: *τίς πότ' ἀνὴρ ἔτι εὔξεται ἀμύνειν ψυχᾶς βέλη θυμοῦ, εἰ μὴ δικαίως κερδανεῖ τὸ κέρδος καὶ τῶν ἀσέπτων ἔρξεται κ. τ. λ., εἰ γὰρ*

τοιαίδε πράξεις τίμιαι τί δεῖ με χορεύειν; Attamen quoniam in contextu carminis verba ita ordinata erant ut delictorum enumeratio conclusionem sententiae praecederet, necesse fuit in textu aliquid addere (*ἐν τοῖσδε*) quod omnes impios qui scelera illa admisissent complecteretur omnesque aeque puniendos esse affirmaret. Nam Chorus qui nuper a diis precatus fuerat ut malos male perderent, nunc hominum ultionem contra eosdem invocat, nisi de religione et cultu deorum actum esse velint. Hanc esse veram orationis texturam patet vel ex iis quae sequuntur proxime *εἰ γὰρ τοιαίδε πράξεις τίμιαι, κ. τ. λ.*, in quibus causalis particula evidenter ostendit haec arcte cum praegressis sententiis colligari, quandoquidem hic subiicitur ratio cur scelera illic memorata hominum indignationem provocare debeant. Adiectivum quoque pronominale *τοιαῖδε* indicat nexum cum praecedentibus; *τοιαῖδε* enim *πράξεις* sunt facta illa modo commemorata (cf. annot. ad v. 100. h. dr.), videlicet *εἰ μὴ τὸ κέρδος κερδανεῖ δικαίως κ. τ. λ.* Summo autem cum artificio verba et sententias disposuit poeta, qui ea quae praecessit delictorum enumeratione auditorum animos suspensos diu tenuit, ut conclusione tandem qua certa et imminens poena in sontes statuitur vehementius percellerentur. Accedit quod hac interpretandi ratione vitatur absurdus ille concursus in uno eodemque orationis ambitu geminorum enuntiatorum conditionalium paene similium, videlicet *εἴ τις ὑπερόπτα χερσὶν ἢ λόγῳ πορεύεται*, et *εἰ μὴ τὸ κέρδος κερδανεῖ δικαίως κ. τ. λ.*; eaque repetitio

et coacervatio sententiarum ejusdem generis, qualia sunt *δίκας ἀφόβητος* et *μὴ δικαίως κέρδος κερδανεῖ: οὐ δαιμόνων ἕδη σέβων* et *μὴ ἀσέπτων ἕρξεται, ἢ τῶν ἀθίκτων ἕξεται*, quae quidem sic stipata et conferta inani verborum pondere orationem obruere; disjuncta vero et diversa verborum comprehensione invicem sibi opposita, maxime ornare et amplificare videntur.

Quamquam Dindorfius et Schneidewinus summa auctoritate viri in contrariam sententiam concesserint, mihi tamen persuasissimum est plura esse in hoc carmine, quae ad res praesentes Atheniensium respiciant, et Alcibiadem potissimum illis verbis (v. 873. et seqq.) *ὕβρις φυτεύει τύραννον· ὕβρις εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν, ὑπερόπτα πορεύεται, κ. τ. λ.* exagitari. Athenienses enim quum vesanas et immanes ejus libidines conspicerent, *οἱ μὲν ἔνδοξοι*, (auctor est Plutarchus Alcib. 16.), *μετὰ τοῦ βδελύττεσθαι καὶ δυσχεραίνειν ἐφοβοῦντο τὴν ὀλιγωρίαν αὐτοῦ καὶ παρανομίαν ὡς τυραννικὰ καὶ ἀλλόκοτα..... οἱ δὲ πρεσβύτεροι καὶ τούτοις ἐλυσχέραινον ὡς τυραννικοῖς καὶ παρανόμοις*. Nimiam autem eorumdem Atheniensium benignitatem et indulgentiam qua ejus vitia non modo tolerabant, sed lenissimis lusus et humanitatis appellationibus quodammodo tenuare solebant, *ἀεὶ τὰ πρᾳότατα τῶν ὀνομάτων τοῖς ἁμαρτήμασι τιθεμένους παιδιὰς καὶ φιλανθρωπίας* (Plut. loc. cit.), exprobrare videntur ea verba *εἰ γὰρ τοιαίδε πράξεις τίμιαι, τί δεῖ με χορεύειν*; Illa denique *μὴ ἀσέπτων ἕρξεται, τῶν ἀθίκτων ἕξεται ματάζων, μὴ θεῶν ἕδη σέβων* carpere et notare

ludicram mysteriorum imitationem, quam Alcibiades in domo sua fecisse a Thessalo publice accusatus fuit; nec non famosum illud hermocopidarum facinus, quod Thucydides (VI. 27.) *ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ἅμα νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως* patratum fuisse narrat. Cujus utique conjurationis non modo conscius, sed primarius auctor contra omnem veri similitudinem (ut recte demonstrat Grote hist. graec. Tom. X. 3.) Alcibiades habitus, ab imperio revocatus ut domum ad causam dicendam rediret, utilissimum ratus impendentem sibi tempestatem evitare, Lacedaemonem demigravit: eaque, ni fallor, *ἀπότομος ἀνάγκη* de qua loquitur Chorus.

v. 903.

ἀλλ' ὦ κρατύνων, εἴπερ ὀρθ' ἀκούεις
Ζεῦ, πάντ' ἀνάσσων

At o potentissime, si recte audis Juppiter, qui omnia gubernas. Nota veterum religio in deorum nominibus usurpandis. Insignis est Aeschyli locus Ag. 160. *Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστὶν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, τοῦτό νιν προσεννέπω.* Cf. Eur. Troad. 885. Herc. fur. 1263., ibique Barnesium. Plat. Phoedr. p. 273. C. Cratyl. p. 400. E. Phileb. p. 12. C. Spanhem. ad Callimach. Dian. v. 7. etc.

v. 920.

ἱκέτης ἀφῖγμαι τοῖσδε σὺν κατεύγμασιν

Κατεύγμασιν quod in libris est emendant *κατάργμασιν*, quod minime necessarium. Non enim de primitiis neque de votivis muneribus hic agitur, sed ea ipsa supplicationis signa et instrumenta modo memorata, *στέφη* scilicet et *ἐπιθυμιάματα*, nunc ut varietur oratio veniunt generaliori *κατευγμάτων* appellatione.

v. 958.

εἰ τοῦτο πρῶτον δεῖ μ' ἀπαγγεῖλαι σαφῶς.

Nuncius qui faustis verbis, non secus ac antea fecerat v. 839. et hic exordiri vellet, Oedipo ac Iocasta urgentibus, statim funesta aggredi coactus, veniam petit si minus ominatum futurum sit orationis exordium.

v. 959.

εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα.

Sententiam hujus versus, cujus exquisitum artificium et venustatem minime persenserunt, mirifice contorquent interpretes. Verte *scito eum quippe mortalem natum... decessisse.* Priora praeparant regis animum ut rem quodammodo praesagiens, infelici nuntio quod in clausula versus

continetur minus percellatur; fatalique omnibus hominibus moriendi necessitate obiecta, anticipant lenimentum doloris. In clausula vero, quae post interjectam aliquam moram pronuntianda est, acerbitas rei dicti euphemismo minuitur ac temperatur. *Βαίνειν* absolute moriendi significatione saepius apud nostrum usurpatum invenies, cf. Oed. Col. 1680. Trach. 345. Phil. 207. et 494. etc. *θανάσιμος* vero, quae est hujusmodi adiectivorum in *σιμος* exeuntium natura, ut modo activam modo passivam vim habeant (cf. Regnier form. grec. p. 240.), passiva *mortalis* significatione invenitur etiam apud Plat. Polit. III. p. 408. C. ibid. X. p. 610. etc. De participio post verba *sciendi, cognoscendi* apto, cf. Matth. gr. gr. § 548.

v. 980.

σὺ δ' ἐς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νομφεύματα,

Heimsoethii emendatio (p. 226. op. cit.) *σκόπει* pro *φοβοῦ*, praeterquam orationis efficaciam minuit, inutilis esse apparebit si *εἰς* praepositionis usum, collatis Antig. v. 376. Oed. Col. v. 800. et Matth. gr. gr. § 548. d., probe perspexeris.

v. 1035.

δεινόν γ' ὄνειδος σπαργάνων ἀνειλόμην.

Crudelium sane fasciarum injuriam expertus sum! Ironice et cum indignatione queritur

quod pro fasciis quibus infans involvendus erat, idest pro curis maternis, crudelissimam injuriam passus sit ut loris sibi pedes transfigerentur. Nihil ad rem faciunt bullae et crepundia quae hic interpretes agitant. Sive *δεινόν* sive *δεινῶν* legere malis, epitheti notionem semper ad *σπαργάνων* pertinere teneto. Tragici enim poetae epitheta nominibus non suis applicare solent, dummodo notiones quibus opus est ad ornandam sententiam, in tota verborum comprehensione contineantur. Cf. h. dr. v. 161. et Philoct. v. 1124.

v. 1054.

ΟΙ. γύναι νοεῖς ἐκεῖνον ὅντιν' ἀρτίως
μολεῖν ἐφιέμεσθα, τόν θ' οὗτος λέγει;
ΙΟ. τίς δ' ὅντιν' εἶπε;

Dindorfius et Schneidewinus haec ita interpretantur quasi rex scire velit utrum servus ille de quo antea Iocasta mentionem injecerat, isque quem modo nuncius memoravit, una eademque persona sint. At hujusmodi interrogatio de re minus necessaria parum accommodari videtur vehementissimae qua nunc Oedipus, ut par est, flagrat veritatem agnoscendi cupiditati. Multo gravius, opinor, est illud quod rex a Iocasta quaerit, idest noverit ne hominem, quisquis tandem ille sit, de quo nuntius dixit; sive ille sit quem modo venire jusserat, quae Chori opinio est, sive aliquis alius, ut statim accersiri possit. *Νοεῖς* igitur ad amussim respondet superiori *κἄτοιδε*

(v. 1048.) quod variandae orationis gratia hic repetere noluit. Quae quidem *cognoscendi* significatio huic verbo minime aliena (cf. Hom. Il. III. 20. XVI. 160. Xen. An. III. 4. etc.), omnem sententiae inconcinnitatem removet, nec, ut Nauckio *ἐκεῖνον τόν τε eumdem* significare posse jure neganti morem geramus, absurdas huic versui conjecturas assuere necesse erit. In Iocastae vero responso librorum lectio *τίς δ' ὅντιν' εἶπε*; illi quam critici invexerunt *τί δ' ὅντιν' εἶπε*; longe praeferendum esse statuo. Nam multo melius et vividius exprimere videtur animi desperationem terroremque quo ipsa agitatur videns jam jam nefandissimas Laii domus impuritates coram omnibus patefactum iri, ita ut aliis et sibimet ipsi, si fieri posset, quasi persuadere vellet neminem unquam de aliquo quidquam proloquutum fuisse.

v. 1081.

οἱ δὲ συγγενεῖς
μῆνές με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν.

Menses poetica audacia cognatos appellat non solum quod socii ac testes perpetui vitae suae fuerint, verum etiam quod solius ingenii viribus nulla propinquorum neque amicorum ope, qui nullos alios necessarios noverit quam menses vitae suae, ad tantam tamen quanta nunc fruitur dignitatem provectus sit. Haec de se gloriose jactitat, non sine aliqua tamen ironia et aegritudine animi, orbitatem suam respiciens.

v. 1090.

οὐ τὸν Ὄλυμπον ἀπείρον
ὦ Κιθαιρὼν οὐκ ἔσει τὰν αὔριον
πανσέληνον.

Αὔριον non est sollicitandum. Proprie enim *crastinum* plenilunium, translate vero *proximum* plenilunium, vel *proximum* mensem significare potest: quorum temporum utrum intelligendum sit, nostrum non est inquirere; videant quibus de Festis atticis agere institutum est. In antistrophicis (v. 1098. sq.) vox *θυγάτερ* ita dissita a suo genitivo *μακραιώνων*, et parum opportuna filiarum deorum commemoratio, ubi de solis nymphabus manifesto agitur, aeque arguunt vulgatam lectionem vix posse defendi. Ingeniose Dindorfius et Heimsoethius locum non facile sanabilem restituere contendunt: supersedendum tamen donec ex libris meliora statuere liceat.

v. 1167.

ΘΕ. τῶν Λαΐου τοίνυν ἦν τις γεννημάτων.
ΟΙ. ἦ δοῦλος, ἢ κείνου τις ἐγγενὴς γεγώς;

Difficultati quam Dindorfius (praef. ed. IV. p. 29.) excitat, quod nuncii verba non ita sint ambigua ut jure Oedipus rursus quaeritet, Laii ne servus an filius extiterit infans ille; facilis responsio est, si ambiguitatem non in vocabulo *γεννημάτων*, ubi nulla esse potest, cum Doederlino

invenire coneris, sed ubi revera est in *τῶν Λαΐου* sitam esse animadverteris. Nam ex artificiosa illa articuli collocatione et latiore plurativi numeri comprehensione, quibus famulus ad incitas redactus, veluti postremo perfugio, utitur ut rem obscurius saltem manifestet; incertum relinquitur utrum de filio Laii ipsius, an alius cujusvis ex ejus familia sermo sit. Nam si *τῶν* articulum cum *γεννημάτων* sensu conjunxeris, *τὶς τῶν γεννημάτων Λαΐου*, erit profecto unus ex Laii progenie; sin vero cum *Λαΐου, τὶς γεννημάτων τῶν Λαΐου*, significabit aliquem in Laii domo procreatum, quisquis tandem ille fuerit qui eum generaverit. *Οἱ Λαΐου* vel *τὰ Λαΐου* Laium ejusque familiam indicant. De solis famulis jam noster usurpavit h. dr. v. 1042.

τῶν Λαΐου δήπου τις ὠνομάζετο

cujus quidem versus dd. vv. immemores fuisse videntur. De articuli usu cum genitivo substantivi vim habentis, deque pronominali ejusdem articuli significatione consule Matth. gr. gr. § 282. 1., 284., 380. c. Curt. gr. gr. § 381., 410. etc. Soph. Phil. 943. et 1023. Eur. Or. 1719. Thuc. VIII. 66. etc.

v. 1225.

εἴπερ ἐγγενῶς ἔτι
τῶν Λαβδακείων ἐντρέπεσθε δωμάτων

Si *ἐγγενῶς* quod libri praestant *pro ea quae vestro generi insita est fidelitate* interpreteris, *εὐμενῶς* ab Heimsoethio (p. 51.) propositum exile et languidum invenias oportet.

v. 1269.

περόνας ἀπ' αὐτῆς αἷσιν ἐξεστέλλετο
ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων,
αὐδῶν τοιαῦτ', ὁθούνεκ' οὐκ ὄψοιντό νιν
οὔθ' οἷ' ἔπασχεν οὔθ' ὁποῖ' ἔδρα κακά,
ἀλλ' ἐν σκότῳ τὸ λοιπὸν, οὓς μὲν οὐκ ἔδει
ὀψοίαθ', οὓς δ' ἔχρηζεν οὐ γνωσοίατο·
τοιαῦτ' ἐφυμνῶν πολλάκις τε κοὐχ ἅπαξ μόνον
ἤρασσε ἐπαίρων βλέφαρα.

Talia clamans, scilicet non visuros nec quae passus esset, nec quae perpetravisset mala; sed quos non oportebat videre (filios ex nefandis nuptiis susceptos) *in tenebris posthac visuros; quos vero oportuisset cognoscere* (parentes ne ea scelera perpetraret) *amplius non agnituros.* Haec infra v. 1371. melius declarantur ab ipso Oedipo. Egregie autem Dindorfius (op. cit. p. 31.) defendit ὀψοίατο quod libri habent, et recte explicat vir praestantissimus. Ὁθούνεκα, quod plerumque simplicis conjunctionis vim habet, interdum indicium est orationis obliquae, quemadmodum apud latinos *scilicet.* Cf. Lobek ad Ajac. v. 123., et nostrum h. dr. v. 572., Electr. 47. etc. Hic ex. gr. ubi post ea verba *talia clamans* Oedipi ipsius clamores et lamentationes audire expectabamus, ὁθούνεκα nihilo secius internuncii narrationem continuari ostendit. Praeterea qui totius loci contextum attente consideret, imperfectis ἔδει et ἔχρηζεν infinita ἰδεῖν et γνῶναι ab ὀψοίατο et γνωσοίατο ad explendam sententiam

haurienda esse facile viderit; de quo schematis genere, praeter ea quae supra disputavimus ad v. 116. cf. Popp. Proleg. ad Thuc. p. 282. seqq. et Thuc. ipsum I. 1., III. 16., IV. 93. etc. Quod vero, qua negandi particula recte caret *οψοίατο*, eadem *γνωσοίατο* aeque carere non potuit, diversae earumdem locutionum naturae tribuendum est. Nam *in tenebris* quidem *videre*, perinde est ac omnino non videre; sed *in tenebris agnoscere*, idem esse atque omnino non agnoscere, nemo unquam concesserit.

Reliqua sic explicanda. *Nec semel tantum sed iterum iterumque attollens (fibulas) feriebat oculos.* Pravam scholiastae interpretationem sequuti non animadverterunt interpretes, narrationem interjecta Oedipi allocutione intermissam, continuari hic ab internuncio, et per epanalepsin paullo diversis verbis recolligi ea ipsa quae antea v. 1270. expresserat, nempe *περόνας... ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων.* (Cf. Thuc. I. 18., VII. 42. Xenoph. Cyr. II. 3., VII. 2.). Si enim hinc inde singula ad amussim respondent; illic *ἄρας*, *ἔπαισεν*, *ἄρθρα κύκλων*, *αὐδῶν* hic *ἐπαίρων*, *ἤρασσε*, *βλέφαρα*, *ἐφυμνῶν*, nominum quoque quae a participiis *ἄρας* et *ἐπαίρων* reguntur eamdem rationem esse oportebit: alioquin inconcinnum esset et a recta orationis structura alienum, si reliquis omnibus invicem utrinque congruentibus, obiecta quae vocant participiorum *ἄρας* et *ἐπαίρων* unice discreparent, quamvis utrumque ab eodem verbo *αἴρειν* descendens, eadem significatione sursum tollendi, inque repetitione ejusdem

sententiae usurpatum esset. Ergo utriusque obiectum nihil aliud esse poterit quam *περόνας* superne memoratum. Praeterea in eo morari quod Oedipus in confodiendis oculis palpebras sursum retraxerit (sic vulgo interpretari solent), non solum otiosum videtur, verum etiam absurdum et ridiculum; quasi vero qui tam crudeliter in oculos saeviebat, palpebris parcere vellet, aut earum interjectum impedimento esse crederet oculis apte confodiendis. Rem tritam *palpebras* pro *oculis* exemplis non agam. De ordine verborum praepostero *πολλάκις κοὐχ ἅπαξ μόνον*, vide quae nos ad v. 58. h. dr. notavimus.

v. 1277.

οὐδ' ἀνίεσαν
φόνου μυδώσας σταγόνας, ἀλλ' ὁμοῦ μέλας
ὄμβρος χάλαζά θ' αἱμάτων ἐτέγγετο.

Nec sanguinis liquentes guttas stillabant, sed ater imber cum grandine concreti tabi commixtus profluebat. Ipsa comparationis vis, nec non rerum invicem oppositarum natura satis aperte indicant *χάλαζαν αἱμάτων* significare grumos illos spissi et concreti sanguinis quos una cum vivo cruore e vulneribus profluere videmus; nam ut *guttis*, imber, sic *liquentibus*, solidum et densum aliquid anthitetice opponi debet. *Αἱμάτων*, cui Dindorfius praetulit *αἱματόεσσα* ex Porsoni conjectura illatum, nihilo tamen minus non videtur esse sollicitandum; plurativum enim

αἱμάτων magis tragicum sonat et foedum illud ex oculis sanguinis et tabi profluvium melius exprimere videtur.

v. 1400.

αἳ τοὐμὸν αἷμα τῶν ἐμῶν χειρῶν ἄπο
ἐπίετε πατρός.

Emphatice suum ipsum sanguinem effudisse dicit dum patrem occideret ex cujus sanguine satus fuerat. Alii synchysin hic agnoscunt et *τοὐμὸν αἷμα πατρὸς* explicant tanquam si dixerit *αἷμα τοὐμοῦ πατρὸς*. Stulte aliquis de sinceritate lectionis dubitavit.

v. 1446.

ἀλλ' ὧν ἀπαιτεῖς ἐς δέον πάρεσθ' ὅδε
Κρέων τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν.

Construe *ἀλλὰ πάρεστι τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν ἐς δέον ὧν ἀπαιτεῖς, Κρέων ὅδε. En adest agere et consulere opportune ad ea quae petis, Creon iste. Κρέων ὅδε* per epexegesim jungitur reliquae enunciationi, cujus explicatio est. Nam quum ab ipso potissimum pendeat agere et consulere quae optima sint, quando ipse adest, adest jam agere et consulere optima.

v. 1454.

ἵν' ἐξ ἐκείνων οἵ μ' ἀπωλλύτην θάνω.

Miror neminem haesisse in hujus versus scriptura. Nam quo pacto Oedipus dicere potest, si nunc in Cythaeronis saltibus sibi mors oppetenda esset, se a parentibus qui ipsum perdere volebant interiturum? Nonne hoc absurdum et mendax de parentibus qui nulli amplius sint? Latet ergo aliquod vitium, facile tamen sanabile, si unius literulae adiectione pro nominativo *οἵ*, dativum neutrius generis *instrumenti* vel *modi οἷς* substituentes, interpretemur *ut ab iis ipsis rebus*, puta locorum asperitate, fame, frigore, solitudine, ferarum laniatibus, *quibus me parentes olim perdere volebant, conficiendus sim*. Hic *ἀπολλύτην* factitivam vim habet, de qua cf. Lobek ad Ajac. 869.

v. 1463.

αἷν οὔποθ' ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ανδρὸς

Nulla emendandi necessitas. Construe *αἷν χωρὶς οὔποθ' ἡμὴ τράπεζα βορᾶς ἐστάθη ἄνευ τοῦδ' ἀνδρὸς: αἷν* casus a *χωρὶς* aptus quod genitivo gaudet quando praepositionis vice fungitur. Postquam vero dixerat *αἷν χωρὶς*, supervacaneum erat addere *ἄνευ τοῦδ' ἀνδρὸς:* at quantus affectus, quanta moestitia inest in hac perissologia!

v. 1447.

γνοὺς τὴν παροῦσαν τέρψιν ἧς ἔχει πάλαι.

Cum jamdiu praevidissem praesentem istam qua nunc frueris voluptatem. Cod. laur. habet *ἧς εἴχει*, cui proxime accedit *ἧς ἔχει* a Wundero invectum, reliquis doctorum virorum conjecturis meo judicio praeferendum. *Πάλαι* jungo cum *γνοὺς*, tum sensu postulante, tum ut oppositorum *παροῦσαν* et *πάλαι* in eodem membro intolerabilis conflictus evitetur. *Τέρψιν* vero, et praesentem laetitiam et illius desiderium ac veluti anticipationem quamdam, uti vulgo hunc locum explicant, uno eodemque tempore significare posse, nemo mihi persuadebit.

v. 1505.

μή σφε περιἴδῃς
πτωχὰς ἀνάνδρους, ἐγγενεῖς, ἀλωμένας

Si construxeris ita; *μή σφε ἐγγενεῖς* (*οὖσας*) *περιἴδῃς ἀλωμένας πτωχὰς, ἀνάνδρους*, multo aptior atque efficacior erit ad Creontis misericordiam commovendam recordatio mutuae consanguinitatis, quam si tertium aliquod epitheton, quod cum *πτωχὰς* et *ἀνάνδρους* commode jungi possit, cum doctis viris excogitaveris. Nam haec duo, quod mendicae et nuptiarum expertes vitam agere debeant, nonne omnium malorum summam continent quibus regiae puellae opprimi possint? Igitur

ἐγγενεῖς sollicitari nollem, sed πτωχὰς κἀνάνδρους perspicuitatis gratia potius scriberem; asyndeton tribuens librariorum ignorantiae, qui ἐγγενεῖς superioribus epithetis tertio loco accedere stulte credentes, copulam cujus rationem nullam viderent, perperam neglexissent.

v. 1511.

σφῷν δ', ὦ τέκν', εἰ μὲν εἰχέτην ἤδη φρένας,
πόλλ' ἂν παρῄνουν, νῦν δὲ τοῦτ'· εὔχεσθ' ἐμοὶ
οὗ καιρὸς ἐᾷ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λῴονος
ὑμᾶς κυρῆσαι τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Quin opus sit cum Meineckio (p. 247.) et Dindorfio (praef. cit. p. 33.) textum refingere, optimum sensum ex tralatitia scriptura elici posse existimo, si distinctionis nota post τοῦτ' apposita, sic locum interpretari liceat. *Vobis autem filiae, si per aetatem intelligere possetis, multa praeciperem: contra vero, hoc* (videlicet, quando illud propter aetatem vestram non licet, hoc tantum praecipiam) « *adprecamini, mihi, ut ubicumque opportunum erit ibi aevum transigam, vobis, ut melior sors quam patri vestro qui vos genuit, contingat* ». Uno verbo Oedipus significare vult, se quum longa hortatione quae captum puellarum excederet uti non possit, hoc unum eas monere quid a Diis pro patre, quid pro se precari debeant: cujus mox precationis ipse quasi quodam modo verba praeit, sicuti facere solemus quoties pueris aliquid memoriter percipiendum mandamus.

De *νῦν δὲ* particula temporis, saepissime tamen, praesertim post conditionalem enunciationem, adversative usurpata pluribus non morabor (cf. h. dr. v. 222.). *Τοῦτο* opponitur praecedenti *πολλὰ* et utrumque regitur ab eodem verbo *παρῄνουν*: *ἐμοὶ* quoque et *ὑμᾶς* invicem sibi opposita ab *εὔχεσθε* ambo pendent, nisi quod paululum variata oratione, quem post dativum *ἐμοὶ* in altero etiam membro expectavisses dativum *ὑμῖν*, transit in *ὑμᾶς* accusativum subiecti loco ob infinitum *κυρῆσαι*. Particularum denique antitheticarum *μὲν*, *δὲ* omissio tribuenda est studio simplicitatis, quam dedita opera affectat, ut puerili ingenio magis accommodetur oratio; ita tamen ut quae nimis concise aut non satis perspicue verbis enunciantur, actoris voce et gestu penitius vividiusque teneris puellarum mentibus instillanda relinquantur.

v. 1528.

ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα.

Ἐκείνην idest omnium sermone tritam illam et decantatam diem postremam, quam Solon in notissimo adagio prae oculis semper habendam esse dixit. Hanc laudatissimam sententiam scriptores Attici commemorare gaudent, ad eamque obscure etiam et indirecte frequentissime respiciunt. Duo huic adjiciam exempla a dd. vv. non animadversa, alterum ex hoc ipso dramate v. 1186.

ἰὼ γενεαὶ βροτῶν
ὡς ὑμᾶς ἴσα καὶ τὸ μηδὲν ζώσας ἐναριθμῶ.

ubi *ζώσας* *quamdiu vivitis* explicandum est. Alterum Periclis apud Thuc. II. 44. in funebri elogio: *ἐν πολυτρόποις γὰρ συμφοραῖς ἐπίστανται τραφέντες· τὸ δ' εὐτυχὲς οἳ ἂν εὐπρεπεστάτης λάχωσιν ὥσπερ οἵδε μὲν νῦν τελευτῆς, ὑμεῖς δὲ λύπης, καὶ οἷς ἐνευδαιμονῆσαί τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐντελευτῆσαι ξυνεμετρήθη.*

INDEX

CORRIGENDA

pag.	5	lin.	23	quantasque	*lege*	et quam diversas
»	12	»	23	Anaclet.	»	Analect.
»	14	»	19	quodam	»	quondam
»	20	»	21	evidentissi- mec causam	»	evidentissime causam
»	24	»	11	voce	»	verbis
»	26	»	16	persuasissum	»	persuasissimum
»	28	»	19	et ut	»	atque
»	—	»	24	dixessent	»	dixissent
»	31	»	9	φρενα	»	φρένα
»	33	»	5	quo cum	»	quocum
»	39	»	20		*dele*	actor
»	41	»	13	v. 334.	*lege*	v 324.
»	—	»	15	σὖν	»	οὖν
»	46	»	4	*viluperas*	»	*vituperas*
»	54	»	12	inespexeris	»	inspexeris
»	70	»	9	lectio	»	lectionem
»	—	»	11	praeferen- dum	»	praeferendam
»	74	»	23	αὐδῶν	»	αὐδῶν,
»	80	»	9	transit	»	is transit.